This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com

Asc. 930 ≡ Camenzind

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google



196. Ausführ. d. G. J. Manz Kunst-Verlag.

Eloi ! Eloi !

Verlagseigenthum von G. J. Manz in Regensburg.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MANNA ANIMÆ,

SEU

DELECTUS

PRECATIONUM PIARUM

Collegit et edidit

Dr. Casparus Cammenzind,

Cum Approbatione Revmi Episcopi Curiensis.

CAMPODUNI
Ex typographia olim ducali,
nunc J. Koeseliana.
1871

Digitized by Google


BIBLIOTECA
DE LA
UNIVERSIDAD

Digitized by Google

MANNA ANIMÆ,

SEU

DELECTUS
PRECATIONUM PIARUM

IN USUM

JUVENTUTIS LITERARUM STUDIOSÆ,

NEC NON

HOMINUM LITERATORUM.

Collegit et edidit

Dr. Casparus Cammenzind,

Medicus Suitensis.

Cum Approbatione Revmi Episcopi Curiensis.

CAMPODUNI 1871.

Ex typographia olim ducali, nunc J. Koeseliana.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO

ET

ADMODUM REVERENDO

DOMINO DOMINO

ANTONIO TANNER

PRÆPOSITO INFULATO ECCLESIÆ COLLEGIATÆ AD ST. LEODEGARIUM; SS. THEOLOGIÆ DOCTORI AC PROFESSORI IN LYCEO LUCERNENSI A CONSILIIS IN REBUS SCHOLASTICIS ETC. ETC.

SUMMA CUM OBSERVANTIA ET VENERATIONE

D. D. D.

EDITOR.

Digitized by Google

Digitized by Google

Cum libellus, cui titulus: Manna animae, a Casp. Cammenzind Dr. Med. Suitensi conscriptus contra doctrinam fidei et morem catholicam nihil contineat, imo vero ad spiritum pietatis tenerrimum in hominibus literarum studiosis excitandum fovendumque maxime aptus sit: non solum, ut in lucem prodeat, approbamus, sed eum enixe commendamus.

Curiae Rhaetorum die 7. Dec. 1868.

Ex mandato Episcopi Curiensis:

J. M. Appert,

Cancellarius.

Digitized by Google

Loco præfationis.

Quem iterum prelo demandandum curavi libellum, cui titulus: „*Manna animae*“, concripsit Anno MDLXXXX vir centenarius, clarissimus atque doctissimus Bernardus Unger Medicinae Doctor Rotenburgi ad Nicrum; quique libellus piissimam tenerrimamque prae se fert in omni pagina devotionem in sacratissimam Domini passionem, et qui non sine certo fructu et aedificatione legetur. Ast, audio te dicentem, benevole lector! ad quid multitudo haud exigua librorum precationum, idiomate latino conscriptorum, nova ista editione augeatur? Ad hoc nihil aliud tibi respondeo, quam: Lege et tum judica!

Si nocturna versaris manu et diurna, et attento spiritu et pia mente eam pervolveris, grato eum accipies animo, mihi persuasum est. Adauxi istum libellum variis precationibus Christiano homini usitatissimis, ut eo extra SS. Missae etiam sacrificium uti poteris. Quapropter, benevole lector, utere illo et fruere, meque tuis precibus habe commendatum. Vale!

Editor.

Digitized by Google

Instructio de Missæ Sacrificio.

Inter omnes Ecclesiae catholicae cultus nullus cultus divinus Deo gratior et acceptior, ipso magnifico augusto tremendoque Altaris sacrificio (cum sit Dominicae passionis et mortis memoriale efficacissimum), cui quilibet fidelis Christianus assistere debet et summopere rem ipsam perpendere conscientiamque suam quam diligentissime discutere ac vestem nuptialem induere, qua discat mentem suam iterum atque iterum quotiescumque voluerit elevare, gratumque se Deo reddere, ut ipsius conviva dignus habeatur, si non sacramentaliter, at saltem spiritualiter sacrosanctum Missae sacrificium frequenter et reverenter audiat, quo nimirum impetratur et applicatur, quidquid nobis passione, sanguine et morte sua Christus acquisivit. Inde Deum sibi benignissimum suique amantissimum conservabit, animamque suam gustu divini amoris tam inebriatam experietur, ut id animo sentiri, quam verbis explicari facilius possit.

Quare ante diem festum Paschae, sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, volens quoque re ipsa te-

Digitized by Google

stari, quod in finem diligeret eos: imo non eos tantum, qui crediturі erant per verbum eorum, usque in consummationem saeculi, cum secundum corporalem praesentiam juxta patris ordinationem quantocius esset abscessurus a nobis, rediturus ad eum, qui ad opus miserat illum, pretiosum ac superadmirabile corporis et sanguinis sui Sacramentum nobis in testimonium aeternae dilectionis et memoriale sempiternum testamento disposuit: sciebat enim, qui novit figmentum nostrum, cordis nostri vanitatem, quam simus faciles ad oblivionem coelestium beneficiorum: atque ob hoc, ne tantorum beneficiorum, quae nobis ipse exhibuit, homo factus, ulla unquam nos caperet oblivio, ejusmodi nobis memoriale requirere disposuit, quod in nobis perpetuo sui memoriam conservaret: Corpus illud sanctissimum et sanguinem immaculatum, quae de Virgine Matre Maria Spiritus sancti operatione assumpsit: ut qui erat Verbum in principio, caro fieret in tempore, et qui ante tempora saecularia Deus erat in sinu patris, in plenitudine temporum, hora ista novissima homo fieret in utero matris Mariae. Reliquit nobis semetipsum jam impassibilem in mnemosynen ardentissimae suae in nos charitatis, acerbissimae pas-

Digitized by Google

sionis, durissimaeque pro nobis toleratae mortis: in viaticum aerumnosae istius peregrinationis nostrae, in medicinam animarum infirmarum, in sacrificium Eucharisticum, expiatorium et propitiatorium veraeque pacificum, in symbolum resurrectionis nostrae, in phylactérion vitae aeternae, in certissimum insuper arrabonem haereditatis nostrae coelestis. O charitas immensa, o pietas in nos ingratos incomparabilis, o amor in nos perditos vere singularis! Denique secundum humanae naturae, pariter et divinae veritatem, ut in terris olim visus est cum hominibus conversari, ita sub creaturarum suarum specie (panis et vini) idem ipse creator omnium permanere nobiscum usque ad consummationem saeculi testamento sempiterno disposuit, ut sua ipsius praesentia semper sui memores essemus.

Quis enim possit oblivisci vitae illius laboriosissimae, quam annis triginta tribus peregit; passionis, quam pro peccatis nostris sustinuit, mortis ignominiosissimae, ad quam se pro nostra salute tradidit: cum eum habeat adhuc praesentem ante oculos eumque quotidie liceat contrectari manibus atque etiam ore manducare, quem tanta credit sua gratia pertulisse. Docuit et nos filius unigenitus J. C., ut renati

Digitized by Google

spiritu in s. baptismatis fonte solum patrem coelestem agnosceremus, cujus bonitate restituti sumus, cum periissemus, cujus sapientia gubernamur et conservamur, ne revolvamur in exitium. Cum igitur Pater spirituum filios suos spirituales, ut ipsum in spiritu adorent, jubeat, non convenit, ut inter fratres exsistat odium aut dissensio; omnes enim eundem habemus patrem, omnes eadem petimus, omnes unius corporis sumus membra, quod est Christus Jesus. Quoniam etiam D. N. J. Ch. cum ageret in terris nil ardentius exoptavit quam ut nomen sanctum suum per universas nationes inclaresceret, nos quoque ejus hortatu et exemplo optamus, ut nomen suum glorificetur in coelo et in terra. Veneretur aeterna sua sapientia, ametur ineffabilis ejus bonitas. Sua quidem gloria, quae per se immensa nec initium habet nec finem, semper florens in se, neque crescere potest nec decrescere; sed humani generis refert, ut illa cunctis innotescat. Pietas naturae in filiis juxta carnem efficit, ut ardenter desiderent honestam famem parentum: parentis enim gloriam pro sua ducunt; moerent et dejiciuntur animo, si quid ignominiae contingat nomini paterno.

At nos catholici et orthodoxi, quo

Digitized by Google

vehementior est pietas divina quam affectus humanus, hoc ardentius sitimus sui nominis gloriam ac discutiamur unice, si, cui soli debetur gloria, ignominia afficitur. Utinam nos, qui sumus filii Dei, non dehonestemur suam gloriam! Nos, qui adoptione, non natura filii sumus, accedere conamur ad aliquam sui similitudinem, ut quemadmodum glorificatus est perfectissime in filio suo, ita pro modo imbecillitatis glorificetur et in nobis. Volens igitur s. ecclesia suo capiti Christo hac in parte respondere, ad hoc laboravit, ut in illo SS. Sacrificio jucundo ordine repraesentaret universum humanitatis Christi mysterium, initium conceptionis ejus et nativitatis partum et vitae totius decursum, mortis quoque transitum et subsequentem resurrectionis ascensionisque gloriam; in summa, quaecumque de Christo veniunt memoranda fidelibus, ita congruis et progressu tam ordinato in uno hoc Missae sacrificio sic repraesentando, ut facillimum sit in hoc sacrificio non solum passionis sed totius Christi vitae devotam facere commemorationem. Catholica autem ecclesia secundum patres et scripturam duo sacrificia Christi agnoscit (eadem secundum substantiam, sed secundum rationem et ritum offerendi multum diversa):

Digitized by Google

unum in cruce cruentum: alterum, quo in coena, sub panis et vini specie, corpus et sanguinem suum ipse sacerdos juxta ordinem Melchisedech patri obtulit, perpetuum condens novae legis sacrificium, quod Apostolis suis ac successoribus, ut ad finem usque saeculi in memoriam ipsius facerent, commendavit. Cruento enim suo Sacrificio Christus totius mundi reconciliationem et propitiationem pro peccatis et plenam omnium redemptionem impetravit.

Alterum vero sacrificium ad recordationem sacrificii cruenti institutum est, quo Christum incruento modo sistimus patri, non ut redemptionem de novo mereamur, sed, ut in cruce meritam, fide nobis applicemus et devotione, secundum Christi jussum, quo jussit, ut hoc faceremus in sui memoriam.

Cum igitur tanta sit sanctissimæ Eucharistiae sacramenti majestas, ubi verum Deum et hominem cum corpore et sanguine, anima et divinitate D. N. J. Ch. vere fatemur adesse, ad cujus praesentiam laetantes adstant angeli genibusque flexis gaudent throni eum adorantes, jubilant principatus et potestates, daemones autem contremiscunt; cuilibet fideli catholico necessarium est, ut id adimpleat, quod a Deo ob-

Digitized by Google

ligatur, ut debitum nimirum fidelitatis obsequium reddat, ut ipsum monarcham et totius universi architectum agnoscat: et ut pius ille Alexandrina scholae catechista Origines scriptum reliquit: Unusquisque nostrum, inquit, si de cibo aut potu sollicitus sit et omnem curam in rebus saecularibus gerat, unam vero aut duas horas ex integro die etiam Deo deputet, et ad adorationem veniat in ecclesiam vel in transitu verbum Dei audiat, cui vero praecipuam curam erga sollicitudinem saeculi et ventris expendit, iste non complet mandatum, quod dicit, ut homo secundum ordinem suum incedat, vel quod dicit, omnia secundum ordinem fiant. Quocirca, cum homo a Deo naturaque productus sit, ea quidem lege productum puto, ut in hoc unum pro modulo quisque suo sedulo incumbat, ne desidiae inertiaeque vacet, sed agat seque ad animi exercitium conferat, ut, unde suae originis principium cognoscere queat, pietatem sibi adsciscat juvare mortalem (Platonici illius memor, neminem sibi soli, sed patriae etiam et amicis esse natum), cum sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia, et nisi succurrat divina medicina, labitur homo ad pejora.

Hoc est enim quoque nobile Sacrificium

Digitized by Google

et exquisitum incensum, quod credentes omnes creatori et redemptori suo quotidie habent offerre, sive mala depellere, sive bona divinitus impetrare confidant, has merces requirunt a nobis et laete accipiunt s. angeli, acceptas vero deferunt in coelum et Deo summo porrigunt, qui et precantibus libenter assistunt, haec omnes satanae vires ac copias labefactat, frangit ac dissipat, hoc vehiculo fulti nos quantumvis exigui et imbecilles, cum volumus, e terris subvehimur in coelum, Deumque nobis proximum, et ex irato judice Patrem benignissimum reddimus. Hoc languentis et pereuntis est animae praesens medicamentum semper expetendum.

Hoc demum unguento summa aeternaque majestas illa continenter honoranda, placanda, concilianda mortalibus. Et fervens ille et vere ignitus Martyr Dei, Ignatius, ait: Si unius aut duorum oratio tantam habet virtutem, ut Christus in eis consistat; quanto magis sacerdotis et sancti populi supplicatio consonanter ascendens ad Deum persuadet praestare eis omnes petitiones in Christo? Qui ergo a talibus separatur et non convenerit in congregatione sacrificiorum: ecclesiam pri-

Digitized by Google

mogenitorum scriptorum in coelo, lupus est in grege ovium.

Et ad Magnesian: Omnes in idipsum ad orationem simul convenite, una deprecatio sit communis, unus animus, una spes; dilectio immaculata. Omnes adunati ad templum Dei concurrite, sicut ad unum altare; cogitemus igitur, nos non solum stare, sed totam etiam ecclesiam, hoc est, omnes pios nobiscum unanimi et concordi oratione Deum implorare, quam orationem Deus neutiquam contemnere et rejicere potest.

Et quoniam gravissima exstat S. Spiritus admonitio: Ante orationem, inquit, praepara animam tuam et noli esse quasi homo, qui tentat Deum; ita scilicet, ut amoveas, quae in te Deo displicere queant, cogitesque ac perpendas impiam vitam tuam, et maxime, si quod peccatum premit gravetque conscientiam, ut inde dolorem in te excites, quatenus poteris, statuasque te a Deo neutiquam exauditum iri. Et primo conjice oculos ad imaginem Crucifixi, adspiciasque eam oculis fidei et cordis cogitesque, quam sit mortales omnes extensis suis brachiis complecti et suscipere paratus.

Cumque nos omnes hac ipsa imagine sua eo provocet et adhortetur, uti ipsum in

Digitized by Google

vera poenitentia, humilitate, paupertate, mundi contemptu imitemur, commemoranda ejus passione ad ipsius nos amorem excitemus.

Sanctus quoque Cyprianus: *Quando stamus ad orationem, fratres dilectissimi, vigilare et incumbere ad preces toto corde debemus, cogitatio omnis saecularis et carnalis abscedat, nec quidquam tunc animus, quam id solum cogitet, quod precatur et quod cum Deo loquatur.*

Item cogitemus, nos sub conspectu Dei stare, placendum esse divinis oculis et habitu corporis et modo vocis, observetur semper oculis, quod Dominus Jesus rebus aliis, quam orationi in templo Dei vacantes flagello facto de funiculis magna severitate ejecit de templo dicens: Domus mea, domus orationis vocabitur; terreat quod scriptum est: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me; ut non aliud habeamus in corde, aliud in voce, cum intentione sincera Dominum Deum debeat, non vocis sonus, sed animus et sensus orare.

Digitized by Google

Exercitium matutinum.

Ut recte pieque diem transigas, plurimum refert bene coepisse. Itaque mane evigilans, protinus diei auspicio Dei memoriam junge, et cave, ne actionum vel cogitationum primitias alius habeat, praeter Deum. Male et infeliciter tibi nullus ibit dies, quem Deo auspicante inceperis. A fonte enim omnis boni, quid nisi bonum? Unde merito David: In matutinis, Domine, meditabor in te, quia fuisti adjutor meus!

Muniens te signo s. crucis ita precare: Benedicta sit sancta et individua trinitas, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Jesus Nazarenus, Rex Judaeorum! titulus triumphalis defendat nos ab omnibus malis; sancte Deus, sancte fortis, sancte et immortalis, miserere nobis.

Tum ita prosequere:

In nomine domini nostri Jesu Christi crucifixi surgo, qui me redemit pretioso suo sanguine; ipse me hodie benedicat, regat, custodiat, ab omni malo defendat, et post hanc miseram vitam perducat ad vitam aeternam. Amen.

Digitized by Google

Gratias tibi ago, clementissime Deus, fons bonorum omnium, quia me ad imaginem tuam creasti, et pretioso tuo sanguine redemisti, et praeter alia innumera beneficia hucusque tam clementer conservasti, et hac nocte a variis periculis malisque praeservans, ad hujus diei initium incolumem perduxisti: tuam majestatem reverenter pro me salutent beati spiritus, et sancti omnes, tuumque gloriosum nomen pro me collaudent, ut quovis momento temporis et in saecula benedicaris. Amen.

Ecce, Domine! totum me lubens offero tibi, a quo profluxit omne, quod habeo: corpus, animam, utriusque vires et omnia hujus diei cogitata, verba et opera ad majorem nominis tui gloriam. Propono firmiter, o Domine, hodie custodire legem tuam, et divino tuo auxilio temporis accuratam habere rationem, et operibus statui meo congruentibus sedulo vacare; ita quidem, ut et peccata et pericula fugiam, et omnia ad tuam gloriam melius dirigam.

Mori potius, quam te, summum bonum, offendere desidero; imo sane, clementissime Deus, e medio tolli mallem, quam vel unico peccato mortali a benedictione tua destitui: hoc attestor ante thronum divinae tua majestatis; quod si negligentia vel incuria votum hoc meum exsequi ne-

Digitized by Google

queam, adjuva me gratiae tuae adminiculis, et concede mihi tempus propositum hoc meum renovandi et prudentius implendi: quid enim, o Domine, prodest velle, nisi tu des perficere? Tu nosti fragilitatem meam, quia inops et miser ego sum, nec quidquam sine te facere vel cogitare possum.

Commendatio ad B. Virginem.

O sacratissima virgo Maria! offero tibi hodie in clientelam omnes actus et cogitationes meas; teque hodie in advocatam et patronam meam eligo: animam meam et corpus meum tibi commendo; omnes angustias et miserias meas, vitam et finem vitae meae tibi committo, ut per tuam sanctissimam intercessionem et per tua merita, omnia mea dirigantur et disponantur opera, ad filii tui gloriam et proximi mei commodum et animae meae salutem.

Ad S. Angelum et Coelites Tutelares.

Obsecro te, angelice spiritus, custos ac tutor mei, ut in via pacis, prosperitatis et salutis te duce hodie dirigar, atque ab omni maligno spiritu et tentatione defendar. Vosque, o SS. Patroni mei NN. mihi praecipue dilecti, hodie clienti vestro fide-

Digitized by Google

liter assistite et precibus ac meritis vestris apud altissimum Deum ita agite, ut ejus gratiae ductu hic vivam hodie vobisque vivam, gaudeam Deumque laudem in aeternitate.

Pax Domini nostri J. C. et virtus sacratissimae passionis ejus, signum Sanctae † Crucis et integritas beatissimae Mariae virginis, benedictio omnium Sanctorum, custodia angelorum, ac suffragia omnium electorum Dei sint inter me et omnes inimicos meos visibiles et invisibiles nunc et in hora mortis meae. In nomine † patris et † filii et † spiritus sancti. Amen.

Dominus nos benedicat et ab omni malo defendat, et ad vitam perducat aeternam. Et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen.

Digitized by Google

Exercitium vespertinum.

Vespere, dum cubitum te conferas, cave, ne Dei sis immemor, cujus favore huc usque diem et vitam transegisti, forsan non traducturus usque mane, nisi Deum tibi hoc vespere concilies. Sic itaque ad somnum et quietem te semper compone, ac si quis auri insusurret: Hac nocte repetunt animam tuam. Ideoque orandum cum propheta:

Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte: nequando dicat inimicus meus: Praevalui adversus eum.

Tum flexis genibus ita prosequere: O infinita bonitas! gratias ex intimo corde tibi ago pro omnibus beneficiis tuis, quae mihi indigno hodie et tota vita mea tam liberaliter contulisti, ac multis etiam periculis et poenis meritis, in quas non pauci incurrerunt, per tuam misericordiam liberasti. Sit tibi laus et gloria a me, et ab electis tuis in coelo et in terra, et ab omni creatura tua in saeculorum saecula.

O immensa majestas! in multis eheu offendimus omnes; sed delicta quis intelligit? Tu, o lux vera! illumina tenebras meas, ut videam et sciam, quid mihi

Digitized by Google

desit. Da, ut quidquid hodie contra te cogitando, loquendo vel operando deliqui, id plene recogitem in amaritudine animae meae. O scrutator cordium et renum Deus! infelix ego peccavi super numerum arenae maris: et quid possum tibi celare, qui consideras semitas meas, et omnes gressus meos dinumeras? Imperfectum meum vident oculi tui. Et si me ipsum recte inspicio, invenio me hodie graviter offendisse te Deum meum, praesertim in his:

Hic diligenter teipsum examina et totius diei decursum memoria repete: ubi fueris, quibuscum egeris, quid dixeris, feceris, cogitaveris, expende. Molestum id nemini videbitur, cui cara est anima et cui curae aeternitas.

Contritio.

O Deus inexhaustae misericordiae, qui non laetaris in perditione peccatorum; respice me secundum multitudinem miserationum tuarum. Ego omnes offensas hujus diei et totius anteactae vitae meae depono in abyssum aeternae charitatis tuae, qua dilexisti nos. Doleo ex intimo meo corde, me tam ingratum fuisse tot beneficiis tuis, et toties te Deum et summum bonum meum offendisse. Precor per mortem et amorem filii tui Jesu Christi: Parce misero,

Digitized by Google

et dimitte mihi clementissime, quidquid hodie vel unquam in te, proximum et me ipsum peccavi.

Potentissime Deus! coram te et omni curia coelesti propono firmiter, exactius ad regulam voluntatis tuae seu vocationis meae, vitam instituere, cunctis diebus vitae meae, quos tu mihi pro paterna tua clementia dare voluisti; sed tu nosti, o pater, quia hoc nequeo sine gratia tua: tu, qui dedisti velle, da perficere: da quod jubes, et jube, quod vis, ut sobrie, juste et pie vivam in hoc, et aeternum te laudem cum sanctis tuis in futuro saeculo. Commendo tibi praeterea utrumque magistratum, amicos et inimicos, sanos et aegrotos, catholicos vivos et defunctos, imo et ecclesiam universam: et benedictio tua sit super nos et maneat semper.

Ad SS. Virginem.

Maria, mater gratiae, mater misericordiae, tu nos ab hoste protege, et hora mortis suscipe. Amen.

Ad SS. Patronos.

Vos vero, o SS. patroni mei N. N. omnesque coelites, qui indefesse laudatis

Digitized by Google

Deum, etiam, dum ego tantisper quiesco et sileo: vos mei curam agite et Deo me commendate, ut protegar ab insidiis hostium meorum, qui nobis dormientibus semper vigilant, parati ad nocendum. Sit Deus protector noster, et nulla nobis adversitas nocere poterit.

Ad S. Angelum.

Obsecro te, angelice spiritus, cui ego indignus peccator a Deo commissus sum, ut me, ubicunque fuero, vigilantem vel dormientem indesinenter protegas ab omni incursu diaboli. Repelle a me per virtutem S. † Crucis omnem tentationem satanae, et quod mea non merentur obsequia, tuis precibus obtine apud altissimum judicem, ut nihil in me loci diabolus inveniat.

In nomine D. J. C., qui me redemit pretioso suo sanguine, intro in requiem meam; ille me benedicat, custodiat et post hanc miseram vitam ad vitam perducat aeternam. Vigila super nos, æterne salvator, ne nos apprehendat callidus et insidiosus tentator; quia tu pro nobis factus es perpetuus adjutor.

In manus tuas, Domine, commendo

Digitized by Google

spiritum meum; suscipe in finem animam meam!

Benedicat † me Deus Pater, qui me creavit, † benedicat me filius, qui me redemit, † benedicat me Deus Spiritus sanctus, cujus me salvet piae consolationis infusio. Amen.

Exercitium ad Missae Sacrificium.

Ingressurus templum, dic cum S. Bernardo: Exspectate hic, cogitationes malae, intentiones et affectus cordis et appetitus carnis! Tu autem, anima mea, intra in gaudium Domini tui, ut videas voluptatem Domini et visites templum ejus. Amen.

Avete, vos omnes Christi fideles animae, quorum corpora hic et ubique requiescunt in pulvere. Det vobis requiem ille, qui est vera requies Jesus Christus, filius Dei vivi, qui descendit de coelo propter nostram omnium salutem, natus de pura virgine Maria, redemitque nos a vinculo perpetuae damnationis, non auro, non argento, sed suo proprio sanguine.

Digitized by Google

quem pro vobis in ara crucis effudit; ille benedicat et liberet vos a pœnis faciatque vos resurgere in die resurrectionis et judicii, et coetui angelorum aggregari ad aeternam gloriam, ibique nostri memores pro nobis suppliciter exorare, ut et vobis associemur et in coelis vobiscum coronemur. Amen. O fideles animae! Propitius sit vobis Deus Pater † et Filius † et Spiritus † sanctus. Amen.

In aspersione seu sumptione aquae lustralis.

Domine Jesu Christe, tu fons bonitatis, apud quem vivida aqua est, suppliciter te imploro, ut me spiritali amaro hysopo, hoc est, cum recta animosa pœnitentia conspergas, omnes meos sensus, verba et opera a peccatis emundes et abluas, tequę secundum magnam misericordiam mei miserearis: velis etiam mihi finaliter per hujus creaturae aspersionem, quae divino verbo tuo benedicta et sanctificata est, mentis sanitatem, corporis integritatem, salutis tutelam, spei securitatem, fidei corroborationem et fructum christianae charitatis nunc et in ævum tribuere et largiri. Amen.

Vel:

En in aqua baptismatis diabolum,

Digitized by Google

animæ meæ hostem, per gratiam Dei suffocavi, et ne rursus laqueis capiar, veterem hominem demersi in baptismo, ibique vitiis omnibus mortuus, et ab omni peccatorum sorde ablutus mundus et purus aqua egressus sum. Ne igitur inquinationibus saeculi rursus implicer, admoneor aspersione vel sumptione aquae hujus benedictae; idcirco, o alme pater, sanguine filii tui a peccatis meis amplius mundari peto et potari illa aqua desidero, quae fiat in me fons aquae vivæ salientis in vitam aeternam. Amen.

Precatio prima.

Domine sancte pater, omnipotens Deus et sempiterne dominator, qui omni in loco praesens es, etiam coelum et terram cum tua majestate comples, verumtamen in templo, utpote domo orationis speciatim et assidue cognosci, adorari, praedicari et venerari vis; modo in multitudine misericordiae tuae venio, adorabo in templo sancto tuo et confitebor, benedicamque nomen tuum venerabile; tu Deus me creasti, tu me perditum, beneficio filii tui dilectissimi, qui in cruce pro nobis passus

Digitized by Google

est, redemisti; tibi uni, quidquid vel corpore vel animo boni possideo, acceptum ferre cogor. Ah miser ego homuncio, portio quaedam tui plasmatis, reptile quoddam, desiderio magno te laudare concupisco, te exaltare cupio, tibi benedicere, gratias agere exopto. Sed hoc quamvis totus amore tui ardeam, sine gratia tua praestare nequeo.

Te igitur oro, Deus meus, vita mea, fortitudo mea, spes et salus mea unica, dignare me laudare te, tu largire et propitius concede, ut te digne glorificare possim, utque tibi laus mea placeat. Da mihi lumen gratiae tuae in corde, verbum in ore, ut cor meum meditetur gloriam tuam, et lingua mea tota die cantet laudes tuas: sed quia non est pulchra laus in ore peccatoris, et quia vir pollutus labiis sum ego, munda, obsecro, cor meum ab omnibus impuris, vanis et improbis cogitationibus. Sanctifica me, sanctificator omnipotens, interius et exterius et fac me dignum laudibus tuis; suscipe benigne sacrificium labiorum meorum, fiatque acceptabile in conspectu tuo, et ascendat ad te in odorem suavitatis.

Memoria tua sancta et dulcedo tua beatissima possideat totam animam meam, atque in invisibilium amorem rapiat eam.

Digitized by Google

Fac, Domine, ut transferatur anima mea de visibilibus ad invisibilia, de terrenis ad coelestia, de temporalibus ad aeterna bona, transeat hinc et videat visionem mirabilem. Et deprecor te, o sacrosancta et superbenedicta Trinitas, miserere mei peccatoris et hoc per omnipotentem, ineffabilem misericordiam, etiam per efficax meritum SS. Incarnationis Jesu Christi domini nostri, et per dignam intercessionem Mariae beatissimae reginae coeli, etiamnum sublimium apostolorum et omnium Sanctorum et electorum, præcipue illorum, quorum memoria in hoc templo observatur, quorum nomina in libro vitae descripta sunt, et qui in S. Ecclesia catholica venerantur.

O rex mitissime! moderare cor meum, ut tibi debitum honorem semper deferat. Tribue mihi, ut in hac lacrymarum valle sic possim te laudare, ut per tuam gratiam eorum consortio adjungar, qui te semper vident, jugiter et sine fine laudant in coelo. Amen.

Precatio secunda.

Domine Deus meus, qui me creasti ad imaginem et similitudinem tuam, con-

Digitized by Google

cede mihi hanc gratiam, quam ostendisti mihi, tam magnam et necessariam ad salutem: sentio enim in carne mea legem peccati, contradicentem legi mentis meae: et captivum me ducentem ad obediendum sensualitati in multis; nec possum resistere passionibus ejus, nisi assistat tua gratia, cordi meo infusa: opus certe est gratia tua, ut vincatur natura ad malum semper prona ab adolescentia sua. Hinc est, quod velle bonum mihi adjacet, perficere autem non invenio: hinc saepe multa bona propono: sed quia gratia deest ad adjuvandam infirmitatem meam, ex levi resistentia resilio et deficio; agnosco viam perfectionis et qualiter agere deberem, clare satis video: sed proprio corruptionis pondere pressus, ad perfectiora non assurgo. Oh quam maxime est mihi necessaria, Domine, gratia tua ad inchoandum bonum, ad proficiendum et ad perficiendum: sine ea nil possum facere, omnia autem possum facere confortante gratia tua. O vere cœlestis gratia, sine qua nulla propria merita, nulla dona naturae ponderanda (dona enim naturae bonis et malis sunt communia). Electorum autem proprium donum est gratia sive dilectio, qua insigniti digni habentur vita aeterna:

Digitized by Google

neque enim fides, neque spes, neque aliae virtutes acceptae sunt sine charitate et gratia.

Veni, beatissima gratia, descende ad me, reple me consolatione tua, ne deficiat prae ariditate mens mea. Ut inveniam gratiam in oculis tuis, obsecro Domine; sufficit enim gratia tua in tentationibus et in tribulatione; non timebo mala, dum modo mecum fuerit gratia tua; ipsa fortitudo mea, ipsa consilium confert et auxilium; tua ergo me, Domine, gratia semper praeveniat et sequatur ac bonis operibus jugiter praestat esse intentum, per Jesum Christum filium tuum, cui sit honor et gloria in infinita saecula. Amen.

Precatio tertia.

Clarifica me, bone Jesu, claritate aeterni luminis et educ de habitaculo cordis mei tenebras universas, cohibe evagationes multas, et elide vim facientes tentationes, pugna fortiter pro me et expurga malas bestias, concupiscentias dico illecebrosas, ut fiet pax in virtute tua: et abundantia laudis tuae resonet in aula sancta, hoc est in conscientia pura. Emitte lucem

Digitized by Google

tuam et veritatem tuam, ut luceat super terram: quia terra sum inanis et vacua, donec illumines me. Effunde gratiam tuam desuper, perfunde cor meum rore cœlesti, ministra devotionis aquas ad irrigandam faciem terrae; ad producendum fructum bonum et optimum.

Eleva mentem pressam mole peccatorum, et ad coelestia totum desiderium meum suspende, ut gustata suavitate supernae felicitatis pigeat de terrenis cogitare: junge me tibi inseparabili dilectionis vinculo, quoniam tu solus amanti sufficis et absque te vana sunt omnia. O Deus meus, dulcedo ineffabilis, verte mihi in amaritudinem omnem consolationem carnalem ab internorum amore me abstrahentem et ad se intuitu boni delectabilis praesentis male allicientem. Non me supplantet diabolus et astutia illius. Da mihi fortitudinem resistendi, patientiam tolerandi, constantiam perseverandi. Da pro omnibus mundi consolationibus suavissimam spiritus tui unctionem, et pro carnali amore tui numinis infunde amorem; haec spes et unica consolatio mea, ad te in omni tribulatione confugere, tibi confidere, te ex intimo invocare et patienter consolationem tuam exspectare. Amen.

Digitized by Google

Precatio quarta.

Adoranda trinitas, pater, fili, spiritus sancte, cui in medio angelorum ego peccator exhibere cultum et honorem acceptum, uti Deo et creatori optimo, et a quo mihi et proximis meis impetrare, quæ sunt ad salutem necessaria et omne bonum desidero vehementer: collige, precor, dispersiones cordis mei et totum illud converte ad te, ut toto affectu et intellectu vacem tibi. Munda cor meum nimis immundum et indiguum in conspectu tuo, nisi in sanguine Jesu Christi id misericorditer emundaveris. Illumina oculos fidei meae, ut exiguum hoc figmentum manuum tuarum videat et revereatur te Deum infinitae majestatis, patrem misericordiarum et Deum totius consolationis, creatorem meum, salutis meae ardentissimum amatorem, ut fiducialiter tecum agam.

Dignare, precor, pater amantissime, bene orandi gratiam tribuere. Offero sacrificium hoc exiguum orationis ad gloriam tuam et ecclesiae utilitatem, praesertim autem ad meorum, quibus peculiari vinculo obstrictus sum, commodum: offero,

Digitized by Google

inquam, una cum beatissimæ virginis Mariae omniumque angelorum et sanctorum meritis Deo, ut et cum omnibus, quae oravit, dixit et passus est Jesus Christus Deus noster, qui tecum et cum spiritu sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Precatio quinta.

Benignissime bonorum omnium largitor, sapientissime meritorum remunerator, suffragiorumque omnium ponderator, Domine Jesu Christe, Sacrificium, quod tibi hodie paupercula mea devotio, quam solus intueris et metiris, offerre constituit, dignanter non secundum meæ devotionis valorem, sed secundum tuam clementiam suscipito; non pro his dumtaxat, pro quibus specialiter ordinatum est, verum pro me etiam et pro his, quibus ex pietate aut charitatis debito adstrictus sum. Neque enim te (qui cuncta nosti) latet, quantum hinc pro peccatis innumeris, illinc pro tuis debitor sim gratuitis beneficiis.

Deinde, quantum proximis debeam, atque progenitoribus ac benefactoribus meis, quorum ope atque industria in hanc

Digitized by Google

perveni horam; nec desunt, qui meis se cōmendarunt precibus, sunt item, qui suos mihi impartiuntur labores et orationes, et vicissitudinem a me requirunt. Postremo ipsi a me exigunt preces, quos defraudavi: quos fama aut rebus laesi: quos scandalizavi, quos seduxi, quos verbis aut moribus offendi. Memor tamen, suavissime Domine, universarum miserationum tuarum devote flagito: ut tot tantisque creditoribus meis pro me spondeas, hancque missam (et si qua alia te dōnante fecero beneplacita) suscipiens per suavissimum cor tuum, in sacrosanctae passionis ac mortis, B. V. matris tuae et omnium sanctorum commemorationem, atque secundum multitudinem liberalissimae donationis, singulis prosit, unicuique opus ad salutem ac liberationem attribuas.

Fiat hoc sacrificium, piissime Jesu, propter infinitam bonitatem tuam: quia ipsum in S. ecclesia esse ordinasti: propter amaram tuam passionem et mortem, qua ipsam fundasti; propter ardentissimam charitatem, qua in coena elevatis oculis, gratias agens Deo patri, ipsum instituisti, et propter merita B. V. Mariæ sanctorumque omnium: fiat, inquam, hoc missae sacrificium mihi et singulis effectus tam integer, ac si singulariter pro

Digitized by Google

quolibet nostrum offeretur. Tu enim es, Christe, perditorum omnium hostia, quæ sola odoris tui suavitate patrem tuum nobis placare et reconciliare potes; qui cum eodem Deo Patre in unitate Spiritus sancti vivis et regnas per infinita saecula saeculorum. Amen.

Precatio sexta.

Piissime Domine Jesu Christe, qui per apostolum tuum dixisti, regnaturos nos tecum, si tecum compassi erimus; praesta mihi, obsecro, virtutem et artem sive scientiam tecum patiendi atque me ipsum in passione exercitandi, quo per hanc tuae divinitatis adipiscar gustum quendam. Quamvis vehementi ita agendi desiderio tenear, plurimum tamen praepedior cogitationum mearum instabilitate, tum salutariter meditandi imperitia, tum duritia cordis mei. Da mihi ergo cor molle, unaque virtutem mihi largire hac in exercitatione fortiter perseverandi, uti ne hinc avellar seu spiritus improbitate, seu cordis mei ariditate. Atque intus ita meam instituas ignorantiam, ut

Digitized by Google

salutarem adipiscar fructum, qui est singularis contemplandi gratia. Cumque tua, o amabilis Jesu, mecum ipsa opera perpendo, videre mihi videor, neminem facile internoscere posse, utrum sit admirabilius, idne, quod cœlum, terram, creata cuncta potentia tua condideris, aut hoc potuis, quod ex tuae bonitatis abysso naturam assumere nostram eamque in libertatem asserere volueris, tametsi id certo constet, in utrisque hisce operibus et terribilem valde et incomprehensibilem te esse. Sic nimirum certa nobis immensae bonitatis tuae indicia et argumenta in sacramento altaris reliquisti, ut hinc admoneremur saepius redire in memoriam stupendi illius operis tui, quod nemo unquam perscrutari potuit. Quare, obsecro te, praesta ingratissimo mihi, ut tui amoris tuæque passionis virtus et efficacia toties in corde meo renovetur, quoties V. Sacramentum oculis contuitus ero, utque ex hoc adspectu et commemoratione adeo accendar, ut nunquam illius possim oblivisci. Et, ut ipse tibi mea causa non pepercisti, ita et meum tuis vulneribus cor transfigas animamque sanguine tuo inebries, ut, quocunque me vertero, te crucifixum semper reperiam adspiciamque, et cuncta velut sanguine tuo rubricata ap-

Digitized by Google

pareant, ut sic totus nihil praeter te inveniam nec quidquam conspiciam, nisi vulnera tua, ut tibi crucifixus sim et nil praeter te cogitem, nil desiderem, nisi te, Deum meum crucifixum. Amen.

Oratio praeparatoria, antequam sacerdos incipiat Missam.

Clementissime pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui sic mundum dilexisti, ut filio tuo unigenito non parceres, sed eum in passione ac morte acerbissimae crucis nostræ reparationi impenderes, quin etiam ejus oblationem tibi acceptissimam, ad renovandum illius in nobis fructum, in ecclesia tua quotidie renovari velles: tribue nobis, quaesumus, tam admirando et salutari tuae pietatis mysterio tam attente et reverenter interesse, ut cruenti illius sacrificii participationem per hujus incruenti oblationem consequi valeamus.

Mentis meæ ac cogitationum mearum recessus pervade ac emunda, ne quid sit in me, quod sanctitatis tuæ candorem absterreat, nulla labes, qui me sacramenti hujus fructu privare posset. Per D. N. J. C. filium tuum, qui tecum vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Digitized by Google

Ex Missa S. Jacobi.

Cum igitur sacrum auditur, sileat omnis humana ac mortalis caro, stetque cum metu et tremore ac nihil terrestre apud seipsum cogitet. Rex enim regnantium et Dominus dominantium, Christus Deus noster progreditur, ut immoletur ac detur in cibum fidelibus: ipsum autem antecedunt angelorum chori cum omni imperio et potentia, Cherubim multorum oculorum, ac Seraphim sex alarum faciesque velantia et cum clamore canentia hymnum: Alleluia, Alleluia, Alleluia.

S. J. Chrysostomus
in homilia de incomprehensibili Dei natura.

Tempore illo, mi frater charissime, non solum homines clamorem illum horribilem reddunt, sed etiam angeli Domino genu flectunt, et Archangeli rogant: habent sibi tempus ad id idoneum, habent sacram illam oblationem in favore. Itaque, ut homines ramos olearum gerentes movere reges consueverant, eoque arboris genere misericordiam commemorant et humanitatem: sic angeli tunc pro ramis oleaginis corpus Domini ipsum portantes

Digitized by Google

rogant pro genere humano, quasi dicant: pro his, Domine, rogamus, quos tu adeo dilexisti, ut pro eorum salute mortem obires et animam cruce efflares, pro his supplicamus, pro quibus ipse tuum largitus es sanguinem, pro his oramus, pro quibus corpus hoc immolasti. Amen.

Oratio ante et post Missam.

In Festis B. V. Mariae.

Pietatis et misericordiæ mater, beatissima virgo Maria, quæ, virginitatis gloria permanente, mundo lumen aeternum effudisti, Jesum Christum Dominum nostrum, solem justitiæ et omnium gratiarum fontem: de cujus plenitudine nos omnes accepimus. Verum tu superabundanter repleta, a coelesti nuntio, gratia plena es salutata. Ego miser peccator ad te devoto corde fugiens et tuam pietatem humiliter implorans, te obnixe deprecor, ut, sicut filio tuo in cruce pendenti et humanam salutem operanti, tanquam secunda Eva secundo Adam adstitisti; ita et mihi misero peccatori et omnibus sacerdotibus in tota ecclesia offerentibus sacrificium incruentum corporis et sanguinis filii tui meritis abundantibus tuis assistere digne-

Digitized by Google

ris; ut iis adjuti et his nostros defectus supplentibus dignam hostiam in conspectu SS. Trinitatis offerre valeamus, quo digni reddamur meritis filii tui Domini N. J. Christi, qui sit benedictus in saecula. Amen.

Oratio post missam ad B. V. Mariam.

O inclyta virgo et mater, quae creatorem nostrum in sacratissimo utero tuo portare, et intacta et inviolata permanens, in humani generis salutem parere digna fuisti, cujus corpus et sanguinem ego indignus peccator sumere praesumpsi; tuam pietatem humiliter deprecor, ut apud ipsum pro me intercedere digneris; ut mihi indulgeat, quidquid in hoc inaestimabili sacramento per ignorantiam aut negligentiam commisi. Precor te etiam, o gloriosa virgo, ut precibus tuis apud filium tuum (qui te nihil negans honorat) pro me intercedere digneris; ut gratiam suam mihi indigno famulo tribuat, qua peccata evitare, juste vivere et in timore et amore suo vivere ac finire valeam, quo feciliter consummata militiae hujus vitae victoria ad aeterna gaudia introduci merear, praestante eodem Christo Domino nostro, pane angelorum, cibo viatorum, et mercede no-

Digitized by Google

stra futura, qui in saecula sit benedictus. Amen.

Oratio ad Sanctum, cujus festum celebratur.

O sancte N., qui modo securus de aeterna felicitate cum Christo regnas et exsultas in gloria, infirmitatis tuæ quondam memor; audi, quaeso, me intercessionis tuae auxilia implorantem. Modo illius humanitate ob divinitatis conjunctionem pasci desidero, cujus nunc divinitatis clara visione tu beatus frueris ac feciliter sine saturitate satiaris; de tuis meritis confisus offeram cum sacerdote sacrificium corporis et sanguinis D. N. J. C. in ipsius memoriam, in quam instituit et offerendum praecepit; hinc et in tui nominis recordationem, qui hujus Sacrificii actu, frequentatione et virtute adjutus, hodie deposita mortalitate et superato hujus sæculi certamine in coelum victor gloriosus migrasti. Quare deprecor et obtestor, ut pro me apud summam majestatem intercedere digneris, ut tantum sacrificium digne offerre valeam. Memineris, te quondam in terris positum, ut esses exemplo, in coelo nunc, ut sis patrocinio. Quare non dedigneris, mihi conservo tuo assistere, ut majori cum fiducia ad thronum gratiæ

Digitized by Google

accedere valeam. Ubi si forte facies mea, multis peccatorum maculis deformis, despecta habebitur, tua haud dubio fulgida et gloriosa grate et amanter acceptabitur. Ubi una precabimur, ut tanta sacramenti efficacia omnia peccata mea dimittantur, ut hic replear sua gratia, quatenus ibi satiari valeam cœlesti sua gloria, ubi eum simul cum omnibus sanctis in aeternum laudabimus. Qui vivit et regnat Deus in saecula benedictus. Amen.

Precatio Missa peracta ad Sanctum.

O sancte N., en sumpto corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi sacramento et ejus humanitate spiritaliter refectus, cujus tu divinitatis visione beatus jugiter pasceris, feliciter frueris et incomprehensibiliter satiaris: iterum ad te venio, tuam intercessionem implorans. Nosti meam infirmitatem, quam et olim sensisti, portans hanc mortalitatem. Scis, quia in multis deliquimus omnes, scimus, quia in cunctis placetis vos immortales. Quare tu mihi adjungas, rogo; et qui tui memoriam ago in terris, non recuses mei reminisci in coelis. Ecce ad thronum gratiae propero, gratias acturus pro tam ingenti communicati corporis et sanguinis

Digitized by Google

sui beneficio et simul precaturus, ut meae saluti serviat, quod ad totius mundi salutem fieri exoptat; prosternam me ante thronum tantae majestatis; rogabo, ut ignoscat ignorantiis et negligentiis meae infirmitatis. Si forte ob meam pravitatem meam despiciat humilitatem: tu asta, ut tuam intuens sanctitatem et tuam audiens pro peccatore precationem, dimittat mihi omnem pravitatem, et audire dignetur gratiarum actionem; ut gratitudinis merito impetrare valeam, quod vitae merito sperare non audeam, quo tecum et cum omnibus sanctis ipsi perpetuo gratias agam, qui praeter innumera beneficia in me collata tanto salutis pignore refecit animam meam. Amen.

Καὶ αὐτὸς (Χριστός) ἱλασμός ἐστιν περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, οὐ περὶ τῶν ἡμετέρων δὲ μόνον, ἀλλὰ καὶ περὶ ὅλου τοῦ κόσμου. Ἰωάννης I. 2.

Digitized by Google

Λέγει Γαμαλιήλ· Ὅτι ἐὰν ᾖ ἐξ ἀνθρώπων ἡ βουλὴ αὕτη ἢ τὸ ἔργον τοῦτο καταλυθήσεται; εἰ δὲ ἐκ θεοῦ ἐστιν, οὐ δύνασθε καταλῦσαι αὐτό, μήποτε καὶ θεομάχοι εὑρεθῆτε.

Actuum Apost. caput 5. v. 38.

Τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον· τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν.

Lucae 22. 19.

Digitized by Google

Preces sub s. Sacrificio Missæ.

Die Dominica.

Oratio pœnitentis ad Christum.

Domine Jesu Christe, adoro te, invoco te pro gloria nominis tui, pro ineffabili tua erga nos charitate, respice in me, sicut ad preces suas supplicem respexisti Magdalenam. Scio, Domine, quia non vis mortem peccatoris, sed magis, ut convertatur a via sua mala, et vivat. Da ergo cor pœnitens et contritum. Cor meum, Domine, a terrenis rebus in tui rape amorem; quo olim adductus in castum virginei corporis alvum temet demisisti, indeque humanitatis naturam assumpsisti. Per sanctam infantiam tuam perque admirabilem apparitionem tuam, qua tribus magis conspicuus fuisti, cordis mei penetralia illumina, ut aurum tibi, thus, myrrham offerens, verorum sacrificiorum, sanctae dilectionis, devotae orationis et membrorum meorum mortificationis in me fiat libatio; qui in templo oblatus Simeonis ulnis exceptus es, spiritualiter quaeso, in altari cordis mei teipsum immola, ut cæsis

Digitized by Google

interiorum affectuum hostiis desiderii mei vota, humilitatem, in prosperis et adversis æquanimitatem et in rebus agendis sanctam consequar dexteritatem. Per s. baptísma tuum, per infestissimi hostis tentationes, obsecro te, Domine, adsis mihi et ab inimicorum meorum tuere insidiis, defende incursibus, ut tuo praesidio munitus, nec mundi malitiam, nec carnis rebellionem, nec ipsius diaboli timeam potentiam.

Domine Jesu Christe, qui ligaris, ut nos solveres, qui impuro discipuli tui osculo salutaris, ut vera charitate animas conciliares, qui a Petro negaris, ut nostram confirmares fidem et sicut pro inimicis doles, ita pœnitentem apostolum respicis. Aspice me multorum peccatorum obnoxium, infirmitatem meam intuere misericordiae tuae oculis et ad resipiscentiam converte me.

Tu, Domine, mea peccata, meas infirmitates portas, cum urbem exiens crucemque bajulans, me quoque, cum in filias Jerusalem respicis, ut non pro te, sed pro me meisque peccatis lugeam, admones. Pro me manibus pedibusque fossis cruci affigeris, Judaeis clamore coelum replentibus, aliis contra altis suspiriis ingemiscentibus, in altum exaltaris. Et quid di-

Digitized by Google

cam, Domine? in me haec converti debuit maledictio. Ego, ego sum, qui haec merui, quæ tu piissime sustines pro me. Da ergo pro tua pietate, ne quid horum perdatur in me. Neque tamen, ne quid horum perdatur in me solum, oro; sit porro efficax, precor, sanguis tuus instillatus in cor meum, vivificet illud planeque novum reddat; divinae charitatis tuae immitte radios, et tui amoris incende affectus; sic enim mihi maxime mortis tuae proderit meritum, qui nullum in me justitiam invenio operum. Jugis ergo pro morte tua ex ore meo gratiarum procedat actio, quia ab hoc ejus a te nobis praecipitur meditatio. Qui ergo passus es pro me, praepara tibi cordis monumentum in me, inhabita illud, communi illud, ab omni putredine conserva illud, ab omnibus incursionibus defende illud; non enim timebo vel totum mundum, si coeli mundique habuero Dominum. Da, Domine, ut tecum mortuus tibi consepeliar cum omnibus affectibus carnis meae; consepultus, tecum resurgens, novitate vitae ambulem, ut olim te jubente corpore resurgens, coram divinae majestatis tuae facie cum omnibus piis laetissimam illam vocem audiam: Venite, benedicti patris mei, accipite

Digitized by Google

regnum, quod paratum fuit a constitutione mundi. Amen.

Alia Confessio.

Mitissime amator hominum, creator et gubernator omnium creaturarum, tuae bonitati confiteor omnia peccata mea, quoque modo feci ex illa hora, ex qua peccare potui, usque ad hanc horam, in qua adhuc per misericordiam tuam vivere me pateris; omnium vero non possum esse memor, quia multa sunt et enumerari non possunt. Sed tu, o misericors pater, cui nota sunt omnia, antequam fiant, scrutator cordium et renum Deus, tu nosti omnia peccata, quaecunque egi vel adhuc ago, intus in anima mea per occultas cogitationes vel foris; per ineptas operationes. Et propterea quia scio, tibi haec omnia nota esse, de his omnibus, quae me fecisse contra voluntatem tuam intelligis, coram majestate tua et omnibus Sanctis tuis me reum confiteor. Scio pariter, ni misericordia prius subveniat, post mortem carnis aeterna morte me esse damnandum et aeternaliter esse torquendum. Scio, optime pater, quia me creasti et creatum misericorditer dilexisti. Et ad hoc me creasti, ut te diligerem, tuisque praeceptis per

Digitized by Google

omnia obediens essem. Ego vero miserabiliter seductus te creatorem meum in tuis praeceptis contempsi et vias perditionis et mortis sequor. De quibus omnibus veniam et indulgentiam peto. Et præter haec unum malum, super omnia mala, malum, quo laceratum et afflictum animum meum sentio et ab ipsis cunabulis semper mecum fuit, mecum crevit in infantia, in adolescentia, in juventute mihi semper adhaesit: nec adhuc me deserit. Est autem hoc malum desiderium voluptatis, delectatio carnalis, tempestas libidinis.

Fateor, dulcissime Deus, coram te, me hujus operis nefarii, immundis recordationibus saepe esse pollutum, incensum, ardores inhonestos passum. Quapropter flecto genua cordis mei ad te, pater misericordiarum et in terram provolutus prosterno me coram pedibus tuis et peto, ut respicias Unigenitum tuum, quem ex nimia charitate, qua nos dilexisti, in mortem tradidisti, ut propter dolores ejus omnium mearum iniquitatum obliviscaris.

Recordare, quaeso, misericordiarum tuarum et promissionum antiquarum. Respice, piissime Pater, arcum illum praefiguratum, scilicet dilectissimum filium tuum in cruce suspensum; considera, quomodo

Digitized by Google

ex omni parte est protensus, ut liceat dinumerare omnia ossa ejus. Ecce manus ejus et brachia ceteraque membra extenta, vulneribus attrita, sanguine perfusa; hæc, quæso, intuere et per ipsius vulnera tu mea sana vulnera, ac dimitte peccata, ut per tuam misericordiam ab omnibus vitiis mundatus, ab omnibus peccatis absolutus et finita temporali conversatione perduci merear ad regna cœlorum, ubi cum sanctis omnibus te laudare, benedicere et glorificare valeam in saecula saeculorum. Amen.

Ad Kyrie Eleison.

Kyrie, fons bonitatis, pater ingenite, a quo bona cuncta procedunt, qui pati natum mundi pro crimine (ipsum ut salvaret) misisti, qui septiformis das dona pneumatis, a quo coelum et terra repletur. Christe, unice Dei patris genite, quem de virgine nasciturum mirifice sancti prædixerunt prophetae, cantus gloriae cui astans semper pro crimine angelorum decantat apex, coelitus adsis nostris precibus, pronis mentibus, quem in terris devote colimus, ad te pie Jesu clamantes et qui baptizato in Jordanis unda, Christo effulgens specie columbina apparuisti,

Digitized by Google

stra futura, qui in saecula sit benedictus. Amen.

Oratio ad Sanctum, cujus festum celebratur.

O sancte N., qui modo securus de aeterna felicitate cum Christo regnas et exsultas in gloria, infirmitatis tuæ quondam memor; audi, quaeso, me intercessionis tuae auxilia implorantem. Modo illius humanitate ob divinitatis conjunctionem pasci desidero, cujus nunc divinitatis clara visione tu beatus frueris ac feciliter sine saturitate satiaris; de tuis meritis confisus offeram cum sacerdote sacrificium corporis et sanguinis D. N. J. C. in ipsius memoriam, in quam instituit et offerendum praecepit; hinc et in tui nominis recordationem, qui hujus Sacrificii actu, frequentatione et virtute adjutus, hodie deposita mortalitate et superato hujus sæculi certamine in coelum victor gloriosus migrasti. Quare deprecor et obtestor, ut pro me apud summam majestatem intercedere digneris, ut tantum sacrificium digne offerre valeam. Memineris, te quondam in terris positum, ut esses exemplo, in coelo nunc, ut sis patrocinio. Quare non dedigneris, mihi conservo tuo assistere, ut majori cum fiducia ad thronum gratiæ

Digitized by Google

accedere valeam. Ubi si forte facies mea, multis peccatorum maculis deformis, despecta habebitur, tua haud dubio fulgida et gloriosa grate et amanter acceptabitur. Ubi una precabimur, ut tanta sacramenti efficacia omnia peccata mea dimittantur, ut hic replear sua gratia, quatenus ibi satiari valeam cœlesti sua gloria, ubi eum simul cum omnibus sanctis in aeternum laudabimus. Qui vivit et regnat Deus in saecula benedictus. Amen.

Precatio Missa peracta ad Sanctum.

O sancte N., en sumpto corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi sacramento et ejus humanitate spiritaliter refectus, cujus tu divinitatis visione beatus jugiter pasceris, feliciter frueris et incomprehensibiliter satiaris: iterum ad te venio, tuam intercessionem implorans. Nosti meam infirmitatem, quam et olim sensisti, portans hanc mortalitatem. Scis, quia in multis deliquimus omnes, scimus, quia in cunctis placetis vos immortales. Quare tu mihi adjungas, rogo; et qui tui memoriam ago in terris, non recuses mei reminisci in coelis. Ecce ad thronum gratiae propero, gratias acturus pro tam ingenti communicati corporis et sanguinis

Digitized by Google

sui beneficio et simul precaturus, ut meæ saluti serviat, quod ad totius mundi salutem fieri exoptat; prosternam me ante thronum tantæ majestatis; rogabo, ut ignoscat ignorantiis et negligentiis meae infirmitatis. Si forte ob meam pravitatem meam despiciat humilitatem: tu asta, ut tuam intuens sanctitatem et tuam audiens pro peccatore precationem, dimittat mihi omnem pravitatem, et audire dignetur gratiarum actionem; ut gratitudinis merito impetrare valeam, quod vitae merito sperare non audeam, quo tecum et cum omnibus sanctis ipsi perpetuo gratias agam, qui praeter innumera beneficia in me collata tanto salutis pignore refecit animam meam. Amen.

Καὶ αὐτὸς (Χριστός) ἱλασμός ἐστιν περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, οὐ περὶ τῶν ἡμετέρων δὲ μόνον, ἀλλὰ καὶ περὶ ὅλου τοῦ κόσμου. *Ἰωάννης I.* 2.

Digitized by Google

Λέγει Γαμαλιήλ· Ὅτι ἐὰν ᾖ ἐξ ἀνθρώπων ἡ βουλὴ αὕτη ἢ τὸ ἔργον τοῦτο καταλυθήσεται; εἰ δὲ ἐκ θεοῦ ἐστιν, οὐ δύνασθε καταλῦσαι αὐτό, μήποτε καὶ θεομάχοι εὑρεθῆτε.

Actuum Apost. caput 5. v. 38.

Τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον· τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν.

Lucae 22. 19.

Digitized by Google

Preces sub s. Sacrificio Missæ.

Die Dominica.

Oratio pœnitentis ad Christum.

Domine Jesu Christe, adoro te, invoco te pro gloria nominis tui, pro ineffabili tua erga nos charitate, respice in me, sicut ad preces suas supplicem respexisti Magdalenam. Scio, Domine, quia non vis mortem peccatoris, sed magis, ut convertatur a via sua mala, et vivat. Da ergo cor pœnitens et contritum. Cor meum, Domine, a terrenis rebus in tui rape amorem; quo olim adductus in castum virginei corporis alvum temet demisisti, indeque humanitatis naturam assumpsisti. Per sanctam infantiam tuam perque admirabilem apparitionem tuam, qua tribus magis conspicuus fuisti, cordis mei penetralia illumina, ut aurum tibi, thus, myrrham offerens, verorum sacrificiorum, sanctae dilectionis, devotae orationis et membrorum meorum mortificationis in me fiat libatio; qui in templo oblatus Simeonis ulnis exceptus es, spiritualiter quaeso, in altari cordis mei teipsum immola, ut cæsis

Digitized by Google

interiorum affectuum hostiis desiderii mei vota, humilitatem, in prosperis et adversis æquanimitatem et in rebus agendis sanctam consequar dexteritatem. Per s. baptísma tuum, per infestissimi hostis tentationes, obsecro te, Domine, adsis mihi et ab inimicorum meorum tuere insidiis, defende incursibus, ut tuo praesidio munitus, nec mundi malitiam, nec carnis rebellionem, nec ipsius diaboli timeam potentiam.

Domine Jesu Christe, qui ligaris, ut nos solveres, qui impuro discipuli tui osculo salutaris, ut vera charitate animas conciliares, qui a Petro negaris, ut nostram confirmares fidem et sicut pro inimicis doles, ita pœnitentem apostolum respicis. Aspice me multorum peccatorum obnoxium, infirmitatem meam intuere misericordiae tuae oculis et ad resipiscentiam converte me.

Tu, Domine, mea peccata, meas infirmitates portas, cum urbem exiens crucemque bajulans, me quoque, cum in filias Jerusalem respicis, ut non pro te, sed pro me meisque peccatis lugeam, admones. Pro me manibus pedibusque fossis cruci affigeris, Judaeis clamore coelum replentibus, aliis contra altis suspiriis ingemiscentibus, in altum exaltaris. Et quid di-

Digitized by Google

cam, Domine? in me haec converti debuit maledictio. Ego, ego sum, qui haec merui, quæ tu piissime sustines pro me. Da ergo pro tua pietate, ne quid horum perdatur in me. Neque tamen, ne quid horum perdatur in me solum, oro; sit porro efficax, precor, sanguis tuus instillatus in cor meum, vivificet illud planeque novum reddat; divinae charitatis tuae immitte radios, et tui amoris incende affectus; sic enim mihi maxime mortis tuae proderit meritum, qui nullum in me justitiam invenio operum. Jugis ergo pro morte tua ex ore meo gratiarum procedat actio, quia ab hoc ejus a te nobis praecipitur meditatio. Qui ergo passus es pro me, praepara tibi cordis monumentum in me, inhabita illud, communi illud, ab omni putredine conserva illud, ab omnibus incursionibus defende illud; non enim timebo vel totum mundum, si coeli mundique habuero Dominum. Da, Domine, ut tecum mortuus tibi consepeliar cum omnibus affectibus carnis meae; consepultus, tecum resurgens, novitate vitae ambulem, ut olim te jubente corpore resurgens, coram divinae majestatis tuae facie cum omnibus piis laetissimam illam vocem audiam: Venite, benedicti patris mei, accipite

Digitized by Google

regnum, quod paratum fuit a constitutione mundi. Amen.

Alia Confessio.

Mitissime amator hominum, creator et gubernator omnium creaturarum, tuae bonitati confiteor omnia peccata mea, quoque modo feci ex illa hora, ex qua peccare potui, usque ad hanc horam, in qua adhuc per misericordiam tuam vivere me pateris; omnium vero non possum esse memor, quia multa sunt et enumerari non possunt. Sed tu, o misericors pater, cui nota sunt omnia, antequam fiant, scrutator cordium et renum Deus, tu nosti omnia peccata, quaecunque egi vel adhuc ago, intus in anima mea per occultas cogitationes vel foris; per ineptas operationes. Et propterea quia scio, tibi haec omnia nota esse, de his omnibus, quae me fecisse contra voluntatem tuam intelligis, coram majestate tua et omnibus Sanctis tuis me reum confiteor. Scio pariter, ni misericordia prius subveniat, post mortem carnis aeterna morte me esse damnandum et aeternaliter esse torquendum. Scio, optime pater, quia me creasti et creatum misericorditer dilexisti. Et ad hoc me creasti, ut te diligerem, tuisque praeceptis per

Digitized by Google

omnia obediens essem. Ego vero miserabiliter seductus te creatorem meum in tuis praeceptis contempsi et vias perditionis et mortis sequor. De quibus omnibus veniam et indulgentiam peto. Et praeter haec unum malum, super omnia mala, malum, quo laceratum et afflictum animum meum sentio et ab ipsis cunabulis semper mecum fuit, mecum crevit in infantia, in adolescentia, in juventute mihi semper adhaesit: nec adhuc me deserit. Est autem hoc malum desiderium voluptatis, delectatio carnalis, tempestas libidinis.

Fateor, dulcissime Deus, coram te, me hujus operis nefarii, immundis recordationibus saepe esse pollutum, incensum, ardores inhonestos passum. Quapropter flecto genua cordis mei ad te, pater misericordiarum et in terram provolutus prosterno me coram pedibus tuis et peto, ut respicias Unigenitum tuum, quem ex nimia charitate, qua nos dilexisti, in mortem tradidisti, ut propter dolores ejus omnium mearum iniquitatum obliviscaris.

Recordare, quaeso, misericordiarum tuarum et promissionum antiquarum. Respice, piissime Pater, arcum illum praefiguratum, scilicet dilectissimum filium tuum in cruce suspensum; considera, quomodo

Digitized by Google

ex omni parte est protensus, ut liceat dinumerare omnia ossa ejus. Ecce manus ejus et brachia ceteraque membra extenta, vulneribus attrita, sanguine perfusa; hæc, quæso, intuere et per ipsius vulnera tu mea sana vulnera, ac dimitte peccata, ut per tuam misericordiam ab omnibus vitiis mundatus, ab omnibus peccatis absolutus et finita temporali conversatione perduci merear ad regna cœlorum, ubi cum sanctis omnibus te laudare, benedicere et glorificare valeam in saecula saeculorum. Amen.

Ad Kyrie Eleison.

Kyrie, fons bonitatis, pater ingenite, a quo bona cuncta procedunt, qui pati natum mundi pro crimine (ipsum ut salvaret) misisti, qui septiformis das dona pneumatis, a quo coelum et terra repletur. Christe, unice Dei patris genite, quem de virgine nasciturum mirifice sancti prædixerunt prophetae, cantus gloriae cui astans semper pro crimine angelorum decantat apex, coelitus adsis nostris precibus, pronis mentibus, quem in terris devote colimus, ad te pie Jesu clamantes et qui baptizato in Jordanis unda, Christo effulgens specie columbina apparuisti,

Digitized by Google

spiritus alme, cohaerens patri natoque unius usiae consistendo, flans ab utroque ignis divinae, pectora nostra succende, ut digni pariter proclamare possimus semper: Kyrie eleison.

Ad Gloria in Excelsis.

Gloriose rex coelorum, in cujus nativitate pulchrum hoc factum fuit canticum, ut gloria in altissimis esset Deo et in terra pax hominibus bonæ voluntatis; velis, Domine misericordiarum, velis corrigere et convertere omnes malas voluntates in bonas, per veram poenitentiam, ut poenitentia agatur de praeteritis peccatis et a recidivatione caveatur, quod si fiat, bona habebitur voluntas. Fac, Domine, ut in unaquaque terra, tam temporali quam spirituali donum pacis concedatur per te, cui sit gloria in excelsis. Amen.

Ad Collectam.

Concede, quaesumus, æterne Deus, salus et mediator noster et sacerdotem et populum christianum non in altum extensis vocibus, sed cum lacrymis et gemitu, tum cordis puritate, has tibi deferre orationes, quo a te et animarum ac corpo-

Digitized by Google

rum percipiamus salutem. Exaudi, pater, quidquid ecclesia catholica uno veluti ore in filii tui nomine pro nostra necessitate precatur, tum, ne quid contra voluntatem vel laudem et honorem tuum petamus, conserva. Sit divinæ majestatis tuæ conspectu voci nostrae mens consona omnium. Da, ut sacerdos vota suspiriaque, in unum quasi orationis suae fasciculum collecta, tibi, patri nostro, quam devotissime deferat; quam tu propitius exaudias per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum. Amen.

Ad Epistolam.

O pater cœlestis, qui nunquam desinis nos indignos famulos tuos publico ecclesiae tuae ministerio, apostolicis, prophetícis ac aliis hagiographicis tum doctrinis tum adhortationibus excitare, in fide confirmare, ad tui amorem atque cultum justitiae sincerum provocare, adversus denique scelerum tentationumque undas præmunire; da, quaesumus, per spiritum tuum, ut salutaria illorum dogmata ac monita omnes et ex animo amplectamur et per omnem vitam ipsa etiam factis sedulo serioque exprimamus, ad tui gloriam, ad proximorum nostrum exemplum et ad animae nostrae salutem.

Digitized by Google

Ad Graduale.

Sempiterna patris et aeterna sapientia, jube et da mihi rectam tristitiam omnium meorum peccatorum, quae in vita mea egi, ut tibi in gloriam, mihique ad animæ salutem cedat. Fac quoque, ut semper pro oculis habeam amarissimam passionem tuam, saucia cor meum vulneribus tuis sacris et asperge mentem meam roseo tuo sanguine, ad expellendas tentationes diabolicas. Concede nobis miseris, ut per humilitatis gradus de virtute in virtutem ascendamus, de tribulatione ad gaudia conscendamus, quo Christum Jesum, virtutibus imitantes sequamur. Amen.

Ad Alleluia, tempore paschali.

Domine Deus, qui afflictiones hominum gaudiis temperas, da, ut ignotum illud et peregrinum nobis Alleluia apud te in æterna felicitate exsultantes decantemus et hic illius regni cœlestis intelligentes gaudia, ejus ardore mentes nostrae inflammentur et eo attrahantur, ubi mortis expers vita et dies sine noctis vicissitudine est; ad hoc adjuva nos, benigne Deus, per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Digitized by Google

Ad Tractum, tempore quadragesimali.

Misericors Deus, per cujus potentiam populum Israel a servitute Pharaonis liberasti et per loca deserta nec non per medium maris sicci in terram laudatam eos adduxisti, libera nos miseros peccatores a potestate malignorum spirituum, a tribulatione omnique miseria hujus vitae; trahe nos ad coelestem patriam, ubi tu solus aperis et nemo claudit, occludis et nemo adaperit. Praesta nobis cor contritum et humiliatum, ut peccata nostra per dolorem et conturbationem poenitentiae, per commodum confessionis et debitam satisfactionem possimus abolere, sicque ad gloriosam resurrectionem filii tui pervenire, per eundem Dominum nostrum Jesum Christum. Amen.

Ad Evangelium.

Gloria tibi, Domine, qui natus es de Virgine cum Patre et almo Spiritu in sempiterna saecula. Frontem signo Crucis insignio, ne unquam hosti salutis meae et fidei cedam, in dogmatibus ab ecclesia catholica traditis; ut nunquam me pudeat professionis christianae etiam inter homines impios hujus saeculi.

Digitized by Google

Ad os crucem pingo, ne quid Christi indignum loquar, sed ea tantum, quæ aut ad Dei gloriam aut proximi ædificationem promovent. Pectus cruce munio, ut animus ad Christi evangelium praeparatus, hauriat inde salutarem doctrinam, qua aut in fide confirmer, aut de vita erudiar sancte transigenda, et ut illam evangelii doctrinam studeam moribus Christiano dignis exprimere.

Finito Evangelio dic: Per hæc sancta evangelica dicta deleantur nostra delicta. Nam me esse Christi cruce et morte salvatum et a diaboli peccatique jugo ac ab aeterna morte liberatum, firmiter credo.

Ad Credo.

Ave, dulcis Jesu! Laus tibi et honor et gloria, Christe, qui propter me dignatus es e regalibus sedibus et mellifluo patris corde in hanc miseriarum vallem descendere, et in B. Mariae virginis utero de Spiritu sancto concipi, incarnari, homoque fieri. Elige, quaeso, tibi cor meum, ut ibi habites; oxorna illud omnibus bonis spiritualibus, ut totum hoc possidere queas.

Utinam ego te in illa profunda humilitate invitem ardentique charitate recipiam et receptum teneam! Utinam ad-

Digitized by Google

stringar tibi tam validis amoris vinculis, ut nunquam a te recedere valeam.

Domine, qui per Apostolum docuisti, nos sine fide impossibile esse tibi placere, eamque nisi dono tui haberi posse, hanc a te mihi donatam fidem offero, te in luce tua agnosco; quae illa docet, vera et salutaria firmissime teneo et in obsequium ejus intellectum meum captivans, paratum me offero, mori pro hac fide. Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam et fidem hanc per charitatem vivifica, et da, ut in ista fide vivam et moriar. Amen.

Ad Dominus vobiscum.

Spiritus S. gratia illuminet cor tuum et labia tua, accipiatque Dominus hoc sacrificium de manibus tuis dignum pro remissione peccatorum et offensionum nostrarum, ad laudem et gloriam nominis sui. Amen.

Sub Offertorio.

Domine sancte pater, qui per Jesum Christum filium tuum novi testamenti novam oblationem docuisti, quam ecclesia a s. apostolis accipiens in universo mundo offert, tibi Deo, rerum omnium creatori

Digitized by Google

et servatori, proferens significante mysterio primitias ex tuis creaturis et donis, panem et vinum aqua mixtum in carnem et sanguinem dilecti filii tui mox consecranda: ut ea oblatione repræsentet illum, qui est panis vivus descendens de coelo, dans vitam mundo, qui sanguine et aqua de latere suo profluentibus lavit nos a peccatis nostris. Digneris, summe Deus, hanc oblationem, quam ecclesia tua per sacerdotem tibi nostris votis accedentibus offert, placatus accipere, pro cuncto populo tuo, quem acquisivisti pretioso sanguine dilecti filii tui Jesu Christi Domini nostri.

Tu misereris nostri, Domine, et nil odisti omnium, quæ fecisti: memorare ergo, quæ sit nostra substantia, quia tu pater noster es; ne irascaris nobis, neque multitudinem viscerum nostrorum super nos contineas: non enim in justificationibus nostris prosternimus preces nostras ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis aufer a nobis iniquitates nostras, et ignem S. Spiritus in nobis accende. Aufer cor lapideum de carne nostra et da nobis cor carneum, quod te timeat, diligat et honorificet, te delectur, te sequatur, te perfruatur. Amen.

Digitized by Google

Ad Orate Fratres.

Domine Deus omnipotens, oblationem hanc suscipiat e manibus tuis et comministret tibi ad laudem et gloriam nominis tui, ad nostram salutem et totius ecclesiæ suae sanctae, per miserationem filii tui unigeniti, cum quo benedictus es cum S. Spiritu nunc et semper. Amen.

Exaltetur, Deus meus, in te cor meum ad commemorandam magnam tuam dilectionem in nos, innumeraque beneficia mihi misero exhibita. Qui non semel filium tuum in cruce nostrae reparationi impendisti, sed ejus oblationem tibi acceptissimam in ecclesia tua quotidie renovare ad ejus fructum in nobis renovandum voluisti: tribue nobis, tam admirando huic, et tam salutari tuæ pietatis mysterio sic attente, reverenter et amanter interesse, ut ejus participationem quam efficacissime consequi valeam: cupide enim desidero secundum Christi voluntatem, sub hoc sacro, grata mente, sanctam ejus vitam rememorare, amaram ejus passionem cogitare, mortemque ipsius enumerare, qua morte et pro meis totiusque mundi peccatis satisfecit et nos tibi reconciliavit. Pro meis ergo et totius mundi de-

Digitized by Google

lictis, coelestis Pater, gratissimum illud filii tui suscipe sacrificium, quod ipse quondam sua passione et morte ordinavit et pro mea totiusque orbis salute disposuit: credam equidem id constantissime ad justitiam licet, confitearque firmiter ad salutem. Quid tamen tibi, Domine, retribuam pro his, quæ tribuisti mihi? Sit in altissimis gloria tua, mihi vero pax et felix hinc exitus ad te. Amen.

Ad Praefationem.

Celsissime Deus et Pater, evehe, quæsumus, corda nostra a terrenis ad coelestia, a temporalibus ad aeterna, ut te unum et cogitemus et loquamur et vita tota exprimamus, ut digni reddamur, teque solo fruamur in aeternum. Per D. N. J. C. Amen.

Gratias agimus tibi, o fons bonorum omnium, pro omnibus beneficiis tuis, nobis a benignitate tua concessis, quemadmodum tuos nos debitores in eo genere laudum semper agnoscimus. Benignissime pater, gratias tibi ago cum omnibus angelis et spiritibus universis, ex toto corde deprecans cor tuum vulneratum, ut mihi gratiam tribuas, quatenus passionis tuae dignam memoriam agere et perpetuas re-

Digitized by Google

ferre gratias possim. Te igitur laudamus, quem laudant omnes angeli et archangeli, virtutes et dominationes, throni et Cherubim atque omnium Sanctorum exercitus gloriosus, qui te sanctum sanctorum laudant et una voce canunt: Sanctus, Sanctus, Sanctus, tu solus es Deus altissimus. Clementissime Pater, suppliciter deprecamur, ut eorundem Sanctorum et angelorum vocibus nostras jungas voces in coelestibus regnis. Amen.

Ad Canonem.

Ecce dum pro me sollicitus talia postulo, meminisse charitatis debeo, ut et pro aliis te exorem. Te igitur amatorem ecclesiae tuae deprecor, ut a domesticis et aeternis hostibus eam liberes; pro pontifice Romano N. ut sequi pergat praedecessorum suorum vestigia et gregem sibi concreditum doctrina et exemplo bonorum operum fideliter pascat, quatenus omnes subditi in via virtutum in dies proficiant. Pro sacerdotibus item universis, ut verbis simul et meritis populum sibi creditum ad patriam coelestem invitent. Simili modo, clementissime Pater, memento, quaeso, parentum meorum, consanguineorum, amicorum et benefactorum meorum N., ut

Digitized by Google

digneris illis ex largifluo pietatis tuae thesauro centuplum retribuere, hic in gratia, et postmodum in gloria. Pater noster et Ave Maria etc.

Et ut nullius sit irritum votum, nullius vacua postulatio, sitque efficax mea deprecatio, B. V. Mariae suffragia peto, apostolorum intercessionem imploro, martyrum preces deposco, confessorum orationes expostulo, quorum meritis ac precibus concedas, ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxiliis et tanti sacrificii fructibus reddamur digni, quo promissionibus tuis perpetuo fruamur. Qui vivis et regnas etc.

Ad Transsubstantiationem.

Illumina, Domine Jesu Christe, servos tuos et ancillas tuas, ut simus digni videre tuum sanctissimum corpus et sanguinem ad salutem animarum nostrarum. Amen.

Ad Elevationem SS. Corporis Domini.

Adoro te devote, latens deitas,
Quae sub his figuris vere latitas.
Tibi se cor meum totum subjicit,
Quia te contemplans totum deficit.

Digitized by Google

Visus, gustus, tactus in te fallitur:
Sed auditu solo tuto creditur.
Credo, quidquid dixit Dei filius,
Nil hoc verbo veritatis verius.
In cruce latebat sola Deitas,
Sed hic latet simul et humanitas.
Ambo tamen credens atque confitens,
Peto, quod petivit latro poenitens.
Plagas, sicut Thomas, non intueor;
Deum tamen meum te confiteor.
Fac me semper tibi magis credere,
In te spem habere, te diligere.
O memoriale mortis domini,
Panis verus, vitam praestans homini;
Praesta meae menti, de te vivere,
Teque illi semper dulce sapere.
Pie pellicane, Jesu Domine,
Me immundum munda tuo sanguine,
Cujus una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.
Jesu, quem velatum nunc adspicio,
Oro, fiat illud, quod tam sitio,
Ut te revelata cernens facie
Visu sim beatus tuae gloriae.

Jesu, bone pastor fidelium, illuminatio et salus in te credentium, adauge fidem nostram. Jesu, tibi vivam, Jesu, tibi moriar, Jesu totus sum tuus vivens et moriens.

Digitized by Google

Ad Elevationem Calicis.

Salve, nobilissime ac pretiosissime sanguis, qui de immaculato corpore et latere D. N. J. C. tempore passionis ejus profluxisti et totius veteris et novae culpae maculas in remissionem peccatorum fusus diluisti; ablue animam meam a peccatis et munda ab inquinamentis, purga a vitiis et sanctifica coelestium virtutum infusione, atque ipsam custodi in vitam æternam. Amen.

Post Elevationem.

Indubitato corde credo et confiteor ego, Domine Jesu Christe, verus Deus et homo, salvator meus, quod tu hic in oculis meis renovas in mysteriis, immaculatum sacrificium, quod tu prius cruento modo in cruce, cœlesti patri immolasti ad copiosam satisfactionem pro peccatis. Tu enim es vera hostia, quae pro nostris totiusque orbis delictis offerri oportebat, ut patris tui justitia nobis omnem culpam, et æternam mulctam donaret. Tu semel omnes iniquitates nostras sancto tuo corpore portasti et sponte poenitentiam egisti. Nec tam abominabile facinus esse pot-

Digitized by Google

est, uti serena tua justitia est; humilis obedientia tua præcellit nostram inobedientiam, inopia et paupertas superat longe nostram avaritiam et cupiditatem, tua patientia in horribili passione vincit omnes nostras carnales concupiscentias: nam a planta pedis usque ad verticem capitis nulla in te fuit sanitas, nec minorem angorem in anima pertulisti, quam in omnibus dolorem artubus innoxii corporis, ita, ut nullus dolor tuo dolori aequalis, donec tu etiam acerbissimam mortem pro nobis gustares. Et quare hæc omnia, nisi, quod tu tanto benignius rependere voluisti, quod nos terrae vermiculi, servi diaboli et filii mortis, coram strenua divina majestate debitores facti, per immensum cruciatum animae et corporis tui aeternam liberationem corporis et animae simul consequamur.

Ad Memoriam Defunctorum.

Admoneo te, misericordissime Jesu, universorum beneficiorum tuorum, cunctarum gratiarum misericordiarumque omnium, quæ nobis fecisti. Admoneo te passionum, plagarum, vulnerum et dolorum, quæ sustinuisti. Admoneo te omnium guttarum sanguinis, quas pro nobis fudisti. Admo-

Digitized by Google

neo te tandem amarissimae mortis, quam pro nobis tolerasti et per eadem omnia et singula obsecro te: effunde in purgatorium animabus defunctis eandem laborum et passionis tuæ virtutem, efficaciam, fructum et gratiam, ut aut singulae releventur animae aliquo modo a pœnis, aut omnino liberentur. Dulcis Jesu, memento, quod filii tui sunt, facturae tuae, nec habent, in quem respiciant, ad quem confugiant, praeter te, Domine. Sufficiat justitiae, quod ibi per tempus graviter sunt punita; reliqua peccata dimittat misericordia tua, quia per te redempti. Da gloriam nomini tuo et libera eas, ut omnes te benedicant in aeternum. Amen. Pater noster et Ave Maria etc.

Ad divisionem hostiæ.

Anima Christi, sanctifica me, corpus Christi sana me, sanguis Christi, pota me, quæ ex latere Christi defluxit aqua, lavet me; passio et mors Christi confirmet me; o Domine Jesu Christe, exaudi me, intra vulnera tua absconde me, nec permittas me separari a te, ab hoste maligno defende me, in hora mortis voca me, ut cum s. angelis tuis laudem te, in beatorum sedem colloca me. Amen.

Digitized by Google

Ad Pax Domini.

Benedicat me Deus † Pater, qui me creavit, defendat me Filius † Dei, qui pro me in cruce passus est, illuminet me virtus Spiritus sancti †, qui mihi in baptismo infusus est; et benedicta sit s. Trinitas ab omni creatura, nunc et per ævum. Amen.

Ad Agnus Dei.

Domine Deus noster, continuam hanc supplicationem suscipe a servis tuis et secundum multitudinem misericordiarum tuarum miserere nobis, et miserationes tuas mitte super nos et super omnem populum tuum, qui exspectat tuam misericordiam, ut ope misericordiae tuae adjuti et a peccatis simus semper liberi et ab omni perturbatione securi. Per Christum Dominum nostrum.

Ad Pacis Osculum.

Qui es omnium Deus et dominator, fac nos pacificando digne operari in hora ista, amator humanitatis, ut emundatos ab omni dolo et simulatione suscipiat nos

Digitized by Google

invicem in osculo et dilectione sancta, in quo manet vera pax, charitatis et unitatis conjunctio. Amen.

Ad Communionem.

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbum et sanabitur anima mea.

Respice me a longe stantem cum publicano, tundentem pectus et dicentem tibi: Deus, propitius esto mihi peccatori! Da trementi et adoranti admiranda mysteria, spiritualiter carnem saltem manducare et bibere sanguinem tuum. Da mihi per vivam in te fidem invisibiliter satiari per benedictam carnem tuam, pro me in cruce immolatam, et sanguinem tuum effusum in remissionem peccatorum meorum. Da, spiritu participare, ut tu in me et ego in te manens, spiritu tuo incendar ad currendam viam mandatorum tuorum. Reple me spiritu charitatis, et firma me in communione sanctorum tuorum. Da denique, ut esuriam et sitiam hunc panem vitae, qui de coelo descendit, non modo spiritu per fidem, sed in sacramento de mensa tua pura et secura mente et casto corpore frequenter accipere, ut non solum anima mea, sed et carnis

Digitized by Google

substantia fulciatur, et immortalitatis gloria quandoque vestiatur et in vitam aeternam perducatur. Sanguis D. N. J. C., qui per spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundet conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi in sæculorum sæcula. Amen.

Ad ultimam Collectam.

Largitus es nobis, Domine, sanctificationem in perceptione corporis et sanguinis D. N. J. C.; impertire nobis gratiam spiritus sancti et conserva nos inculpabiles in fide. Deduc nos in perfectam adoptionem et redemptionem et in futuras illas aeternas fruitiones. Tu enim es illuminatio nostra Deus, ac unigenitus filius tuus sanctissimus nunc et semper. Amen.

Ad Ite missa est.

Jam viva hostia Christus oblatus est, pro nobis astat patri, interpellans pro salute nostra. Quare jam vana hujus saeculi non quaerenda, sed desideranda coelestia; revertendum ad nostra corpore, mente vero laudandus et benedicendus

Digitized by Google

Dominus pro tantis beneficiis gratias semper agendo. Amen.

Ad Benedictionem.

Benedictione tua sancta me et omnes benedic, Domine, ut per eam fides, spes et charitas confirmentur in nobis et omnes simul benedictionem tuam vere percipientes, passionis et mortis tuae fructum cum omnibus sanctis aeternum perfruamur. Qui vivis et regnas verus Deus, verus homo in saecula. Amen.

Peracto Officio.

Pater æterne, propitius esto mihi peccatori et redde me tibi placentem per filium tuum J. C. D. N., quem sacerdos mystice obtulit in satisfactionem pro peccatis et negligentiis meis, pro peccatis totius mundi ac fidelium omnium defunctorum ac in suppletionem omnium meritorum, quae mihi vel eis desunt.

Obtulit tibi filium tuum in unione illius charitatis, qua tu eum misisti in terram eumque nobis dedisti salvatorem; obtulit et omnia, quae ipse pro nobis fecit ac pertulit, nimirum sanctissimam incarnationem, vitam, labores, passionem, cruciatus, sanguinem et mortem illius: obtulit et

Digitized by Google

virtutes ejus perfectissimas pariter et virtutes ac merita Deiparae Virginis Mariae et omnium Sanctorum tuorum. Suscipe, obsecro, hanc oblationem in odorem suavitatis et laudem aeternam. Amen.

Egrediendo templum.

Valete vos omnes fideles animae, quæ jacetis in gremio terrae, longe lateque, benedicat vos sol justitiæ et claritate sui luminis vos perfrui faciat sine fine. Amen.

Digitized by Google

Feria secunda.

Die lunae.

Oratio pœnitentis.

Domine Deus, per decalogi legem agnosco, quae sit naturae meae perversitas, quod vitium originale peccatum intulerit, quae mea denique virtus sit; pertinax in malo natura per primam inobedientiam in conceptione mea ab utero matris infecta a parentibus haereditarium quid in me devenit, ut non sit in me facere bonum, nisi tu me sine meo merito in gratiam receperis. Confiteor ergo Deo omnipotenti et redemptori nostro Jesu Christo, B. Mariæ semper virgini ac omnibus sanctis ex toto corde peccata mea et transgressiones praeceptorum divinorum, in quibus hucusque, o Deus, vitam transegi et carni meo obsecutus, quidquid pravae cupiditates suaserunt, feci, in vanitate mearum cogitationum, in otiosis verbis, in stultitia operum, in caecitate cordis, in philautia et mei ipsius amore, in simulata probitatis specie, denique in mortua qua-

Digitized by Google

dam fide; nec insusurrationibus maligni spiritus, nec meae carnis desideriis digna fortitudine serio repugnavi, sed his potius morem gessi, neglecta s. Spiritus admonitione, et sic Dominum Deum meum saepe et multo offendi, graviter concitavi. De quibus omnibus vehementer doleo, eorumque ex toto corde me poenitet. Ad te miser ego peccator in tempore gratiae et misericordiae accedo, supplex ad te clamo; pro auxilio ferendo veritatis tuae imploro gratiam. Scio enim in hoc hominem natum esse, ut ego ex Deo renatus filium Dei efficiar. Nullum autem bonum, nisi per te fiat, qui solus bonus, justus, sanctus, sine ullo peccato et plenus gratia natus es; nos autem pleni peccato, nemo de sua justitia gloriari potest, nisi quem tua sanctitate beas et justitia. Aufer ergo a me peccatum et tuam largire gratiam: propterea tu infirmus, debilis et insipiens factus es, ut ego sanus, validus justitia et intelligens fierem; denique pro me mortem passus, ut in aeternum viverem; in hoc spero, haec mea fiducia et exspectatio est, in qua vivere et mori paratus sum. Quare te Deum meum supplex oro, ut digneris mihi veram fidem donare, ut cor meum frigidum tuo amore inflammetur; et ut propter filium tuum dilectum

*

Digitized by Google

meis peccatis ignoscas et largiaris veniam; hocque in me efficias, ut adjutus tua gratia in dies me renovare possim, ut omnibus voluptatibus valedicam et repudiatas constanter relinquens sobrius, castus, obediens, justus et humilis exsistam, ut secundum voluntatem tuam in tuo timore in hac lacrymarum valle possim versari, et ut mundo, peccatis et mihi ipsi mortuus adventum Salvatoris nostri pura conscientia et bonis operibus ditatus, purus ac sine crimine, laetitia spirituali et bona spe plenus exspectem. Amen.

Alia Oratio.

Summe rerum conditor, horreo, quando mecum reputo, quam majestatem peccatis meis offenderim, propter temeritatem meam; cum considero, qualem benignum Patrem reliquerim, detestor ingratitudinem meam; cum animadverto, in qualem servitutem a beata libertate spiritus me conjecerim, damno amentiam meam totusque mihi displiceo, et nil aliud video nisi gehenna et desperationem, nisi adjuvet me tua miseratio. Sed, contra, cum contemplor tuam immensam misericordiam, quae juxta Prophetam exsuperat omnia opera tua, quaeque te ipso quodam modo major est, laetior quaedam aura spei re-

Digitized by Google

creat animam meam. Cur desperem ob peccatorum veniam, qui per prophetas toties invitas peccatores ad poenitentiam, camans, te nolle mortem peccatoris, sed magis, ut convertatur et vivat? Unigenitus tuus multis nos parabolis inculcavit, quam parata sit apud te venia poenitentibus. Parabola filii prodigi, cujus imaginem in me agnosco, vacillantem refovet animum. Impie reliqui patrem meum amantissimum, totam meam substantiam nequiter prodegi, dum carnis obsequens cupiditatibus, tui oblitus, in turpissimam servitutem memet involvi et ad extremam inopiam redactus sum; nec video, ad quem confugiam, nisi ad eum, a quo profugi.

Recipiat misericordia poenitentem et ad te revertentem! Indignus sum, qui ad te tollam oculos, aut qui patris te nomine compellem: sed tu digneris ad me flectere oculos tuos; tuus enim intuitus facit, ut peccator mortuus reviviscat, perditus ad te redeat. Procul abs te divagantem intueri dignatus es, mihique oculos reddidisti, ut viderem miseriam meam. Non me pigebit in hac vita haberi inter abjectos, luctu sordidari, modo ne separer abs te in aeternum. Obsecro te pater, per mortem unigeniti filii tui, imperti mihi spiritum tuum, qui purificet

Digitized by Google

cor meum suaque gratia confirmet me, ne relabar per negligentiam, unde sum a tua clementia revocatus. Amen.

Ad Kyrie Eleison.

Te patrem ingenitum, te filium unigenitum, te Spiritum Paracletum, sanctam et individuam Trinitatem toto corde et ore confitemur, laudamus atque benedicimus. Gloria Patri, qui creavit nos, gloria Filio, qui redemit nos, gloria Spiritui sancto, qui sanctificavit nos, gloria summæ Trinitati, cujus opera sunt inseparabilia, cujus initium sine fine manet. Te decet laus, te decet hymnus, tibi omnis honor, tibi benedictio, virtus et fortitudo Deo nostro, in saecula saeculorum. Amen.

Ad Gloria in Excelsis.

Laudo et glorifico te, o aeterna Patris sapientia, pro tua inattingibilis altitudinis admiranda inclinatione, in nostrae mortalitatis vitae ergastulum, pro purissima ex Mariae conceptione, Spiritus S. cooperatione celebrata, in cujus utero virtus altissimi carnem tuam sanctam de carne Virginis intemeratae formavit. Tu verus Deus, consubstantialis Patri, nobiscum factus es una caro sine contagione

Digitized by Google

peccati. Concede mihi, piissime Jesu, humilitatis tuæ vestigia imitari, qui ad dandum hominibus virtutis exemplum et perpetuae salutis remedium, voluisti de Maria Virgine media nocte nasci; fac me cum angelis et tota militia coelesti laudes tibi canere, quos tuae nativitatis lætos fecisti esse praecones. Amen.

Ad Collectam.

Conciliare nobis, Domine, placare tuo gregi et orationem ecclesiae tuae suscipe, ut errores tollantur, controversiæ dissipentur et schismata ex omnium animis evellantur, quo majore tibi devotione valeant inservire.

Porrige, Domine, famulis tuis te invocantibus potentem tuam dexteram et cœlitus auxilium dimitte, ut te ex toto corde quærant, et quidquid aequum a te petierint, assequantur. Per D. N. J. C. Amen.

Peracta Epistola.

Deo gratias. De salutari doctrina, o Domine, fac, ut spiritus tuus hujus lectionis corda nostra sic respiciat, ut virtus sua in vita nostra sentiatur. Amen.

Digitized by Google

Ad Graduale.

Sempiterna sapientia Dei, fac, ut nos per gradum humilitatis de una virtute in aliam ascendamus, donec nos perveniamus ad mensuram perfectae aetatis Christi, ut sic finem fidei nostrae, beatitudinem animae acquiramus.

Ad Alleluia.

Domine, tribue mihi mentem intendere ad laetitiam aeternae beatitatis, quam tu nobis largiri dignaris, per meritum passionis et mortis tuæ et ut nos idipsum expendamus per commodum et emolumentum, quod nos inde assequi possimus. Amen.

Ad Evangelium.

Domine, sancte pater, infunde amorem tuum in mentem meam, laudem in os meum et spiritum tuum in cor meum. Amen.

Post Evangelium. Tibi, o Domine Jesu Christe, qui verus es oriens, gratias agimus, quod hæc praestiteris, quæ tuo nomine nobis Evangelista nuntiavit, id,

Digitized by Google

quod corde ad justitiam, ore ad salutem confiteor et cruce mihi facta, contestor me esse paratum, auspice gratia, crucem sequi tuam et in nomine tuo crucem meam patienter ferre.

Ad symbolum apostolorum.

Ego firma fide credo et profiteor omnia, quae continentur in symbolo fidei, quo s. Romana ecclesia utitur; apostolicas et ecclesiasticas constitutiones amplector, nec eas unquam nisi juxta ananimem patrum consensum interpretabor; rogoque te, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, ut adsis mihi gratia tua, qua adjutus constans in eadem, ad extremum vitae halitum perseverare ac cum omnibus sanctis et catholicis, qui eandem fidem tenuere, vitam aeternam consequi possim.

Gratias ago tibi Domine Deus, redemptor humani generis, pro tua charitate, qua hominem mirabiliter creatum mirabilius reformasti. Cum enim adhuc tui inimici essemus, recordatus es uberum miserationum tuarum, et perspexisti de sublimi habitaculo tuae gloriae, in hanc miseriae vallem; vidisti grave onus filiorum Adam, et tactus dulcore charitatis tuae apposui-

Digitized by Google

sti super nos cogitare cogitationes redemptionis, venisti nos visitare oriens ex alto et adimplesti desideria Prophetarum, verus Deus et homo inter homines apparendo.

Ad Offertorium.

Domine Deus, propitius sis nobis omnibus et misericors in remissionem peccatorum per Jesum Christum Salvatorem nostrum, in quo tibi semper complacuit, quem mox divinae majestati tuae sacerdos, in memoriam passionis mortisque ejus in mysterio, ut summum sacrificium est oblaturus; in efficacia illius sacrificii, in quo ipse sese tibi coelesti patri in ara crucis corpore et anima, carne et sanguine pro nostris peccatis, quae ipse ut agnus immaculatus pertulit, immolavit. In hujus nomine, clementissime pater, condona nobis delicta nostra et in tuam nos gratiam recipe, ut hoc s. sacrificium pro nobis non sit perditum, sed defensio et perfugium ex hac vita mortali in vitam aeternam, ubi cum filio tuo et Spiritu sancto vivis et regnas in aevum. Amen.

Ad Orate Fratres.

Dominus sit in corde et in labiis tuis, ut suscipiat hoc sacrificium de ma-

Digitized by Google

nibus tuis pro tua nostrumque omnium salute.

Domine Jesu Christe, fili Dei vivi, in memoriam et laudem immensae charitatis tuae, quod propter nos natus, passus, crucifixus et mortuus fuisti, offero tibi hoc missae sacrificium, sicut et alia in toto orbe celebranda sacrificia, ut ea per manus sacerdotis suscipias, ac aeterno patri commendes, quemadmodum ipse in cruce moriens sanctissimum corpus et sanguinem tuum pro mundi salute obtulisti et ex ardenti amore aeterno Patri commendasti; ejusdem corporis et sanguinis tui oblatio, qui in hoc mysterio renovatur et incruento modo sub specie panis et vini peragitur, fructum suum assequatur, ut inde vivi gratiam, fideles defuncti requiem et hi, pro quibus offertur, misericordiam ac vitam consequantur aeternam. Hoc ipsum ecclesiae sacrificium, quod sine certo fructu passionis ac mortis tuae nunquam offertur, sit pro innumeris in nos collatis beneficiis gratiarum actio et pro infinitis peccatis nostris cõmissis, bonis hucusque neglectis poenisque debitis satisfactio. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus s. Deus per saecula saeculorum. Amen.

Digitized by Google

Ad Præfationem.

Sit cor sursum rectitudine intentionis, ut sit oculus simplex ad Deum, non nos ipsos, quae nostra sunt, finaliter quaerendo, sed omnia in Deum tanquam in finem ultimum et optimum ordinando.

Deus meus, da mihi gratiam, ut cor meum devotus elevare possim et grata mente tuam meditari immensam charitatem, gratiam et beneficia, quae tu mihi miserrimo exhibuisti. Vere enim dignum et justum est, te laudare, benedicere, adorare, tibi gratias agere in omni loco dominationis; tu enim es Deus ineffabilis, invisibilis, incomprehensibilis, semper eodemque modo exsistens tu et unigenitus tuus filius et Spiritus sanctus. Tu a nihil ad esse nos perduxisti, relapsos restituisti et omnia fecisti, donec nos in coelum duceres, et regnum largireris futurum. Pro his omnibus gratias agimus tibi, unigenito filio tuo et Spiritui sancto, pro omnibus, quae scimus et nescimus, beneficiis, manifestis et occultis. Ipse, Domine, suscipe ex ore nostro peccatrici, ter sanctum hymnum: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth, pleni sunt coeli et terra gloria tua; Osaña in excelsis; bene-

Digitized by Google

dictus, qui venit in nomine Domini, Osanna in excelsis; quatenus eum sic venientem, digne suscipientes, ab eo salutis benedictionem consequamur hic et in futuro. Amen.

Ad Canonem.

Omnipotens sempiterne Deus, ego me commendo inexhaustae misericordiæ tuae et rogo, ut laves me ab omnibus peccatis et vitiis; quod ego denuo fieri possim templum Spiritus sancti. Ah, ut ego perpetuo simplici et humili corde tibi complacere valeam et tibi inflammato amore semper adhaerere. Respice ergo nos in bonitate tua, condona nobis omne delictum voluntarium, sanctificaque nostras animas et corpora. Da nobis servire tibi in pietate omnibus diebus vitae, precibus B. Mariae semper virginis et omnium sanctorum, qui tibi a saeculo placuerunt. Offerimus etiam tibi rationabile hoc obsequium pro s. ecclesia catholica ac pro summo Pontifice nostro N., pro omnibus orthodoxis episcopis, et omni sacerdotali ordine, ut sub ipsis in recta ac vera fide gubernemur, in fidei meritis crescamus et in dies adolescamus. Erue, Domine, civitatem hanc omnemque regionem a fa-

Digitized by Google

me, pestilentia, terrae motu, undis, gladio, incursu alienigenarum et civili bello.

Memento etiam, Domine, et miserere mei, consanguineorum et amicorum meorum N., commendo vitam nostram et spem, rogo et supplico tibi; dignos nos fac, ut participes simus tremendorum mysteriorum hujus spiritualis mensae, cum pura conscientia in remissionem peccatorum, in S. Spiritus communionem, in regni cœlestis hæreditatem, in fiduciam erga te, non in judicium et condemnationem. Amen.

Ad Elevationem.

Ave, caro Christi chara,
Immolata in crucis ara,
Redemptionis hostia,
Morte tua nos amara
Fac redemptos in luce clara,
Tecum frui in gloria.

Ave, verbum incarnatum,
In altari consecratum,
Panis vivus angelorum,
Salus et spes infirmorum,
Medicina peccatorum.

Salve, corpus Jesu Christi,
Quod de coelo descendisti
Et populum redemisti,
Cum in cruce pependisti.

Digitized by Google

Jesu bone, fons pietatis, fons Angelorum, gloria Sanctorum, spes peccatorum, miserere nobis.

Et da ut, sicut te nunc videre merui in forma panis, ita, cum ad judicandum veneris, securus te merear videre in gloria tuae majestatis, ac perpetuo perfrui in regno claritatis, ubi cum Patre et s. Spiritu regnas in aevum. Amen.

Ad Elevationem Calicis.

Ave in aevùm, sanctissima caro, ave in ævum, pretiosissime sanguis D. N. J. C. Ave, salutaris victima pro salute humani generis in ara crucis oblata; ave, hostia sufficientissima; ave redemptor mundi J. C, gloria omnium sanctorum, qui pro nobis dignatus es assumere hanc carnem de immaculata virgine et hunc sanguinem de latere tuo effundere; pendens in cruce, munda nos; ablue et sanctifica nos, et sicut in hoc sacro mysterio facta est transmutatio de pane et vino, sic nos in te transmuta, et gratia tua nos confirma. Amen.

Post Elevationem.

Precor te, amantissime Deus, propter illam charitatem, qua genus humanum dilexisti, quando tu rex celestis pendebas in ara crucis cum divina tua charitate,

Digitized by Google

cum mitissima anima, cum tristissima facie, turbatis sensibus, cum transfixo corde, cum perstrepentibus membris, cum vulnerato corpore, cum sanguineolentis vulneribus, cum expansis brachiis, cum confixis pedibus, cum extensis venis, cum pallida facie, cum mortali calore, cum lacrymosis oculis, cum ardenti amore, cum gustu amaro aceti et fellis, cum inclinato capite, morte obviante, in divisione corporis et animae, cum aperto latere; in ea charitate te precor, piissime Domine, qua cor tuum amarosum scindebatur, ut sis mihi propitius super multitudine peccatorum meorum. Fac etiam participes sanctae passionis tuae amicos meos, benefactores omnesque, pro quibus orare teneor, ac bonum vitæ nostræ finem, gloriosam lætamque resurrectionem pro tua misericordia largissima nobis tribuere digneris. Amen.

Pro fidelibus Defunctis.

Ave, dulcis Jesu, laus tibi et honor, qui diaboli potestate contrita, ad inferos secundum animam descendens, patres ibi detentos tua praesentia exhilarasti et eos ad amoena paradisi tempe claramque Dei visionem transtulisti. Descendat passionis et sanguinis tui virtus in purgatorium super animas parentum, fra-

Digitized by Google

trum, sororum, propinquorum, benefactorum N. et N. Item animabus omnibus subitanea et improvisa morte exstinctorum nec non omnium fidelium defunctorum, qui in sancta fide ex hoc saeculo migrarunt, requiem dona sempiternam, quam praeparasti sanctis tuis, ut a poenis absoluti recipiantur in sinum pacis æternæ. Amen.

Pater noster et Ave Maria etc.

Credo et profiteor, amantissime Jesu, quod tu nobis hic renovas fructum reconciliationis, qua summe apud Deum opus habemus, ut, cum nos a natura filii tui sumus, gratiam iterum acquiramus tuam; nam per justitiam tuam recuperas tu nos iterum in conditionem filiorum et haeredum patriae coelestis et qui prius gravi et dura servitute daemonis subjecti et nil aliud quam iram Dei et aeternam damnationem promeriti, tu nobis comparasti omnigena charismata gratiarum, ut nobis prospere eveniat non solum in hac vita, verum et in futuro, ubi pro meritis tuis immensa bona et sempiternam consequimur beatitudinem. Ultra haec omnia credo firmiter, quod tu fidelissimus Deus redintegras commodum amplissime majestatis et voluntatis Dei, tui omnipotentis patris, ad cujus gloriam et placitum nos omnes flagrare debemus: nam tu no-

Digitized by Google

bis ex ineffabili gratia largiris excellentissimum holocautoma, quod divinae majestati verum honorem defert et suae voluntati satisfacit; cum autem nos immensa haec beneficia referre non possimus coelesti patri, tu per sacrificium hoc nos locupletes fecisti et in odorem suavitatis pro nobis et toto mundo offerri voluisti. Tibi laus et gloria ab omnibus et singulis per aevum. Amen.

Ad Pax Domini.

Pax Dei, quae vero credentibus datur, ut gaudentes de remisso peccato et donata gratia mutua se charitate complectantur, quæ et exsuperat omnem sensum et intellectum, custodiat corda nostra in Christo Jesu.

Tu Deus pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium in sanguine testamenti aeterni, D. N. J. C., aptet nos in omni bono, ut faciamus ejus voluntatem, faciatque in nobis, quod placeat coram te. Per Jesum Christum, cui est gloria in saecula saeculorum. Amen.

Ad Agnus Dei.

Agnus Dei, qui de virgine Maria dignatus es nasci, tollens in cruce pecca-

Digitized by Google

ta nostra; miserere corporis et animae meae.

Agnus Dei, Christe immolate pro salute mundi, miserere corporis et animae meae.

Agnus Dei, per quem salvantur cuncti fideles, da mihi in hoc saeculo et in futuro sempiternam pacem. Amen.

Ad Communionem.

Salve, salutaris victima pro me et humano genere in patibulo crucis oblata. Salve, nobilissime sanguis de latere D. N. J. C. profluens et totius veteris et novae culpæ maculas diluens, per hunc tuum pretiosum sanguinem, Domine Jesu, lava me ab omnibus iniquitatibus meis, ut purificato corde et spiritu degustare merear sancta sanctorum sitque mihi hoc venerabile sacramentum contra insidias hostium firma defensio, ut salutari viatico refectus, lubricas hujus vitae vias immaculatus transire merear et ad te, Dominum angelorum, sine impedimento diabolicae accusationis pervenire valeam, Jesum Christum, per quem creatus sum, cum non essem, reparatus, cum perditus essem, qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Digitized by Google

Precamur te, Domine J. Christe, ut respicias benignus ad preces nostras, emundesque animas et corpora nostra ab omni contagione carnis et spiritus; praesta ergo, ut visibilem hunc cibum spiritualiter esuriamus et spiritualiter satiemur, ut non modo sacramentum, sed et rem et virtutem sacramenti percipiamus. Concede, Deus, et his, qui nobiscum orant, fidei processum cum spirituali intellectu. Da nobis cum timore et amore participare tuis sanctis mysteriis, et dignos fieri tuo coelesti regno, ut potenter a te custoditi semper tibi gloriam referamus et filio et spiritui sancto. Amen.

Ad ultimam Collectam.

Gratias tibi agimus, omnipotens sempiterne Deus, pro omnibus beneficiis tuis nobis per filium tuum in s. spiritu misericorditer exhibitis, quorum memoriam egimus, licet indigni; concede, ut cum Petro peccata nostra defleamus, cum Maria Magdalena te perfecte diligere et cum latrone poenitenti in paradiso coelesti te aeternaliter videamus, cui laus, honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

Digitized by Google

Ad Benedictionem.

O sancta trinitas in unitate sempiterna individuae Deitatis, divina majestas protegat, custodiat et liberet miseras creaturas suas ab omni malo corporis et animae. Amen.

Peracta Missa.

Quemadmodum hac me gratia dignatus es, Domine Deus meus, ut corporis et sanguinis tui sacramento me cibares, ita me quoque hujus sacramenti virtute me impleas, quaeso. Per vulnera tua et per dolorem tuum te obsecro, Jesu, pie, ut hujus sacramenti perceptio animae meæ vitam tribuat gratiae, quae divinos motus exerceat, puriticet me a vitiis, peccandi fomitem minuat, robur animi adjiciat, gratiam augeat, et virtutem perditam restauret, tenebras cordis mei illuminet, a peccatis conservet, a tentationibus satanæ defendat, dulcedine gratiæ tuæ impleat et consoletur, charitate inflammet, me tibi uniat, spiritu exhilaret et a poenis aeternis liberet. Amen.

Digitized by Google

Egrediendo Templo.

Valete vos omnes ut in pag. 65.

Feria tertia.

Die Martis.

Resipiscentis Confessio.

Omnipotens sempiterne Deus, ecce ego indignus peccator ad te creatorem meum et salvatorem adspiro, ad te judicem meum et ad tuae majestatis solium accedo, multitudinem peccatorum meorum agnosco et ad pedes tuos projicio, quibus primum s. nomen tuum dehonestavi, præcepta tua transgressus sum, voluntatem et jussa flocci feci, corpus et animam meam, conspurcans et misericordiae tuae oblitus, in malis perseveravi.

Quoties inspirationem tuam, qua ad meliora me vocasti, quoties longanimita-

Digitized by Google

tem tuam, qua me obstinatum pertulisti, contempsi? quoties non sine foeda ingratitudinis nota, memoriam tuae mortis, quam pro me misero obiisti, neglexi? Quoties illos, quos tu in cruce redemisti, scandalizavi? quoties bonitate tua abusus sum nil boni operans, nec ut tibi inserviendo placerem dedi operam, sed in pravis actionibus gnariter perstiti? Non sum dignus, ut ad te attollam oculos meos; sic vultum dejicere me cogit conscientia et tua majestas, quae penitus me perspicit, terret. Quo confugiam? quo locorum me abdam? ubi a furore tuo me abscondam? Verum cogito, te esse patrem meum indulgentissimum, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Per summam tuam misericordiam remitte mihi omnia peccata, et libera me ab iniquitatibus meis, per meritum sanctissimae vitæ et mortis tuæ acerbissimæ. Suppedita mihi robur et vires, ut secundum voluntatem tuam posthac vivam et in tua gratia usque ad finem persistam. O dulcis Jesu, o rex aeterne, coeli terræque gubernator, qui mediator intercedis inter patrem tuum et nos miseros peccatores, praesta nobis patrocinium tuae intercessionis. Oro te propter nimiam illam charitatem, quae te ex coelo in B. Virgi-

Digitized by Google

nis uterum pertraxit, quae etiam ad crucis mortem perferendam te commovit, oro te per perfusas sanguinis tui guttas, ut me peccatorem consueta tibi gratia amplectaris, tandemque in me efficias, ut ss. vitae tuae particeps reddar et consors mortis tuae benedictae; ut mortuus huic mundo, tibi soli vivam, tibi moriar, et exacto hujus vitae curriculo ad te in regnum tuum in coelestem patriam tuae gloriae adsciscar. Amen.

Alia Confessio.

Ad quem, o Jesu dulcissime, innumeris peccatis onustus refugiam, nisi ad te misericordia plenum? Itaque omnia mala mea, omnem ingratitudinem, sensualitatem, iracundiam, levitatem et libidinem in abyssum projicio divinae clementiae tuæ atque in cruenta vulnera, quae propter meam salutem accepisti: oro te, Deus meus, ut haec omnia pretioso tuo sanguine diluere velis, ut nulla apud te illorum memoria perseveret. O amabilis Jesu, unicum solatium meum, accedo ad te pleno desiderio te ferventer amandi et cuncta, quae ab amore tuo me possint abstrahere, evitandi, quo unus tecum effici merear affectu, voluntate et amore. Spes

Digitized by Google

mea, consolatio et refugium meum es tu; quantum me perturbant peccata mea, tantum me erigit immensa bonitas tua et merita ss. passionis tuae. Quidquid ego deliqui, morte tua acerbissima deletum est; quidquid mihi deficit, merita passionis tuae abunde adimplent. Et licet innumera sint peccata mea, parva tamen sunt tuae immensæ collata misericordiae. Unde confido de infinita bonitate tua, quod nunquam me perire sinas, quem creasti ad imaginem tuam, nec me despicias, cujus caro, sanguis et frater effici voluisti. Sed et spero, me abs te minime condemnandum esse, quem tam caro emisti pretio. En offero tibi moerorem et angustiam, quam sustinuisti pro peccatis meis. Et pro dolore et contritione, quam me jure sentire oporteret, offero tibi humillimas preces ejus, pro ignavia et negligentia mea, pro universis peccatis, quibus te offendi et virtutibus, quas exercere neglexi, nec non pro vivis et defunctis, pro quibus tu vis me rogare et ego rogare sum adstrictus, ut des singulis per filium tuum, quod eis noveris esse necessarium, ad fideliter serviendum tibi in eo statu, ad quem sunt misericordia tua vocati. Fac me tertia die resurgere per veram contritionem, puram confessio-

Digitized by Google

nem et dignam satisfactionem. Da mihi de præteritis plenam indulgentiam et pro futuris fidelem custodiam. Amen.

Ad Kyrie Eleeson.

Kyrie, magne Deus potentiae, liberator hominis transgressoris mandati, eleeson. Christe, summi patris vera hostia, salus et vita nostra, eleeson. Kyrie, cujus natus Emmanuel restauravit, quod Adam primus homo perdidit, eleeson.

Ad Gloria in Excelsis.

Clarissime rex coelestis Jesu Christe, gratiam, collaudationem et dignitatem refert tibi cor et animus meus ob nativitatem tuam, quae te ex naturali charitate ad terram pertraxit; id nobis designat sacerdos solemni isto cantico angelico; adjuva, Domine, ut ego et omnes Christiani regnemus in æterna beatitudine. Amen.

Ad Collectam.

Quia tu pro nobis omnibus habiturus es orationem ad Deum, optamus et dominum esse cum spiritu tuo, ut devota mente, quod petes, ab eo impetres unanimiter,

Digitized by Google

sine quo nullum est bonum, sed omnia bona ab eo. Ille ergo per gratiam tuam sit cum spiritu tuo, ita, ut qui tecum est in ore, et in corde in te maneat.

Ad Epistolam et Graduale.

Domine, imploro te creatorem meum et rogo, ut vita mea dirigatur juxta verbum tuum; accuso meam imperfectionem, desidiam et ignaviam, ad adipiscendam gratiam et virtutem a tua divina beneficentia; idcirco oro secundum traditionem D. N. J. C. Pater noster et Ave Maria etc.

Ad Alleluja.

Benedictus sit Dominus, qui respicit profunditatem et sedet super Cherubin, benedictus in firmamento coeli et collaudatus in aevum, quoniam nobiscum egit secundum misericordiam suam. Amen.

Ad Evangelium.

Soli Deo domino nostro totius redemptionis nostrae gloriam adscribo, interimque rogans, ut ea gloria, quae in evangelio praedicatur, mecum sine fine permaneat et semper crescat.

Digitized by Google

Post Evangelium. Laus et gratiarum actio sit tibi, Domine, quod tu divinam doctrinam evangelii unici dilecti filii tui, in auribus et cordibus nostris resonare fecisti; dona nobis gratiam agnitae tuae voluntatis, cum omni obedientia implendae, quo sic tandem promissionum tuarum reddamur vere participes. Amen.

Ad Credo.

O summi amoris indicium, quod Dei filius nostra causa ex excelso majestatis solio ad terram usque se demisit atque ad extremum usque hominis exsilium sese relegare minime refugit, cui gratiarum actio et honor. Amen.

Post Symbolum. Omnipotens, sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei aeternae Trinitatis individuam unitatem, incomprehensibilem Deitatem, summam potentiam et misericordiam in nos, agnoscere; supplices te oramus, ut hanc fidem in nobis in dies magis augeas et corrobores, donec perveniamus omnes in virum perfectum, in mensuram aetatis plenae adultae Christi sicque reportemus demum finem fidei nostrae, salutem animarum nostrarum. Per D. N. J. C. filium tuum, qui tecum et cum

Digitized by Google

Spiritu sancto regnat in saecula saeculorum. Amen.

Ad Offertorium.

Suscipe, s. Trinitas, oblationem hujus sacerdotis pro salute nostra et accende corda nostra ardore divini amoris, ut te puro corde una cum omnibus Sanctis tuis digne praedicare valeamus hic et perpetim. Omnipotens pater D. N. J. C., quaeso, benignus sis et miseriaris mei propter dilectum filium tuum; hunc tibi pro peccatis meis offero: nil enim habeo nobilius et pretiosius hoc unico; hunc ad majestatem tuam dirigo advocatum meum, hunc constituo mediatorem inter me et te. Hunc mitto intercessorem, per quem confido veniam posse impetrare peccatorum meorum. Quidquid enim fecit aut passus est, omne id propter nostram redemptionem factum est. Credo a te missam Deitatem, meam suscepisse humanitatem, in qua propter me alapas, vincula, sputa, irrisiones suscepit, nec non crucem, clavosque pertulit. Hujus infantia in cunis vagiit, pueritia pannis constricta, juventus laboribus vexata, jejuniis macerata, vigiliis afflicta, itineribus fessa, affecta postea flagris, lacerata

Digitized by Google

suppliciis! Haec, o pater, placatio mea et propitiatio tua. Hic attende pius, quem genueris filium, et quem redemeris servum; hic aspice factorem, non despiciens facturam, et miserere mei. Amen.

Ad Orate Fratres.

Domine Deus, suscipiat hanc oblationem, ut tibi conducibile sit in anima et corpore et convertat afflictionem nostram, quae nos ab illo sacrificio retardare et impedire possit. Amen.

Parce, Domine, servo tuo propter filii tui intercessionem. Potui per me te, sume pater, offendere, sed non valui per me placare. Factus est adjutor meus dilectus tuus filius. Hic nostram assumpsit humanitatem, ut me tibi placaret seque offerret, ubique sacrificium laudis immolaret, me per hoc tibi reconciliaret et ut sedens ad dextram tuam meæ substantiæ ostenderet, se esse consortem. Ecce Domine, hic tuus filius, tota spes mea et fiducia; si me pro mea, ut dignum est, abjicis iniquitate, respice me saltem misericors pro dilecta sobolis charitate. Attende in filio, quo propitieris servo; quoties beatae prolis tibi patent vulnera, contegantur in his mea scelera; quoties

Digitized by Google

rubet pretiosus de latere sanguis, diluatur labes meae pollutionis. Et quoniam caro mea te lacessivit ad iram, caro filii tui te flectat ad misericordiam; sicut me mea caro seduxit ad culpam, sic caro filii tui reducat me ad veniam. Etsi summa sit nostra impietas, major tamen est misericordia tua, quae totius mundi mala in qualitate, et quantitate sua excedit. Te oro misericors pater, gratiam tuam mihi impertire, fac me participem passionis filii tui. Ex ea etiam consolatio ad me dimaneat, ut te in perpetuum laudare tibique gratias agere possim. Amen.

Ad Praefationem.

A terrenis tollamus sensus ad supernum regem, ut in coelis sit conversatio nostra et in nobis habitatio tua, ut simus tabernaculum tuum sanctum, non terrestrem, sed coelestem vitam aemulantes. Gratiis agendis nymnum Domino reddimus, qui dedit semetipsum pretium redemptionis pro nobis et mutuum. Non autem ut nostra gratiarum actione opus habeas, tibi gratias agimus, Domine, sed ut, quidquid id lucri est, iterum ad nos redeat, et dignos facias majoribus subsidiis, quamvis autem non possimus facere, ut dignum est. Nam quomodo id fieri possit,

Digitized by Google

cum tam fragiles natura simus? Nihilominus justum est pro viribus gratias tibi referre et indesinenter glorificare Dominum nostrum et per benedictionem crebram et per vitam optimam. Amen.

Ad Canonem Missae.

Omnipotens sempiterne Deus, qui solus sanctus, solus Dominus, solus altissimus es, omniumque creator, obsecramus te per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum, ut clementer accipias hoc sacrificium de manu sacerdotis pro ecclesia sancta catholica, ut eam ab omni hæresi et schismate tueri digneris. Et qui in errore versantur, ut illuminati ad fidem catholicam revertantur. Miserere et sumi pontificis nostri N., omnium prælatorum, sacerdotum et totius sacri ordinis ministrorum, quibuscum per tuam gratiam semper adsit virtus s. Spiritus, qui corda et corpora illorum expurget et ab omnibus tueatur adversis, ita, ut sedulo officiis suis fungentes, recordentur, se positos esse ad conservandam ecclesiam, quam tu redemisti, Jesu! pretioso tuo sanguine. Rogamus etiam pro infirmis fratribus nostris, ut liberes eos ab omni aegritudine et imbecillitate. Etiam offerimus tibi pro aëris salubritate et fructuum fertilitate,

Digitized by Google

ut abunde bona tua percipientes te assidue laudemus, qui das escam omni carni. Miserere, Deus meus, mei et omnium consanguineorum, amicorum et omnium benefactorum meorum tam spiritualium quam temporalium NN. Et quia peccatis nostris præpedimur, hanc oblationem, precamur, ut placatus accipias, cofnunione saltem ecclesiæ sanctæ et sanctorum tuorum veneratione, inprimis gloriosae semper virginis genitricis Dei Mariæ, s. Añæ, apostolorum, martyrum et omnium Sanctorum tuorum, quorum precibus et meritis, remissione peccatorum concessa, quod oblaturi sumus sacrificium, benigne concedas; precamur ut ad salutem nobis, non ad damnationem proveniat; nobis etiam, qui modo inspicimus velata specie filium tuum Jesum Christum, velis dare post hanc vitam æternam felicitatem una cum Patre et almo spiritu. Amen. Pater noster et Ave Maria etc.

Ad Elevationem Hostiae.

Ego sublevo oculos cordis mei in vera fide ad Deum redemptorem meum hic occultum sub specie panis. Ave, verum et sanctissimum corpus D. N. J. C et Salvatoris nostri, natum ex immaculata vir-

Digitized by Google

gine Maria, nostri causa passum et in ara crucis coelesti Patri oblatum, ex quo perforato latere tu verus roseus sanguis, quem summo cordis affectu saluto, fluxisti. Sis mihi semper cibus, præsertim in extremo termino. Et rogo te, Domine, qui vere et essentialiter sub specie panis ades, largire mihi, ut ego te post hanc vitam, denudato conspectu, valeam inspicere, quem ego modo velata specie panis intueor et adoro. Amen.

Ad Elevationem Calicis.

Ave, sanctissima caro Christi et sanguis; ave, summa dulcedo, quae detrimentum nescis, fastidium tollis, mortem necas, vitam præstas aeternam. Ave, beata refectio, quae electos patris de mundi hujus exilio ducis ad patriam; ave, felix hostia, qui in ara crucis Deo Patri pro nostris peccatis es oblata. Aufer, pastor bone, a me iniquitates, ut puro corpore et spiritu degustare merear sancta sanctorum.

Post Elevationem.

Domine Jesu Christe, solatium et fiducia mea! Ego hic intueor praesentiam

Digitized by Google

tuam velatam, occultam majestatem cognosco; veneror te hic, te unicum meum liberatorem, in quem omnem spem meam colloco. Tu dixisti: Vici mundum, pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; exaggera in me spem istam, ut circa omnem desperationem constans persistam in adversis et prosperis, in necessitate et morte, ut et pacem tuam in praesenti custodiam; fac me participem sanctissimi hujus sacrificii tui, ut consequar fructus pretiosos hujus piaculi in efficacia acerbae passionis et mortis tuae, quod modo ad memoriam per manus sacerdotis offerri facis. Ego admoneo te misericordiae et bonitatis tuae, unde reliqua omnia bona ut ex vero fonte salutis nostrae promanant. Nam non in justitia mea et meritis meis unquam confidere possum, sed tu, Domine, es refugium meum, pax et servator; in acerba passione et morte tua spero, super roseo sanguine tuo fido. Idcirco sis mihi, Jesu mi, collaudatus et gloriosus in omni tempore, imo in aevum. Amen.

Ad Memoriam Defunctorum.

Misericors Deus, si quae animae fidelium defunctorum forte propter imperfectio-

Digitized by Google

nes et veniales offensas aut etiam mortalia peccata, remissa quidem, sed non sufficienti poenitentia penitus expiata, in purgatione adhuc detineantur, per hoc sacrificium et sanguinis Christi virtutem, passionis ac mortis ejus meritum, remissione omnimoda accepta, locum refrigerii, lucis et pacis per Christum clementer indulge N. et gloriam beatitudinis dona cum sanctis in coelis, qui in membra tua coaptati et in te unum corpus effecti gratias ob tuum pro ipsis effusum sanguinem, quo illos mundasti, rependant. Amen. Pater noster et Ave Maria etc.

Infelix ego peccator flecto genua mea ante Dominum et Salvatorem meum, qui me creavit, redemit, sustinet et conservat, quique veritas et vita permanet in æternum. Jesu Christe, verus Deus et homo, ego te hic praesentem adoro, de praesentiæ corporis et animae tuæ veritate nil omnino dubitans. Utinam eo te modo cognoscere, diligere et laudare queam, quo te summum bonum tot s. angelorum millia laeti contemplantur, perfecte cognoscunt, laudant atque diligunt, nullo in tui obsequii taedio vel molestia affecti. Ave, salus mundi, aeternum Patris verbum, hostia vera, caro viva et Deitas integra! O vere pretiosum thesaurum et

Digitized by Google

mundorum cordium habitaculum! O vivus Angelorum cibus! O panis coelestis, o patris verbum, quod pro nobis factum est caro, verus Deus et homo, modo admirabili in altari consecratus et commutatus. Tu spes certa, vera peccatorum salus, tu languentium efficacissima medicina, tu miserorum ingens thesaurus. Benedictus sis, dilectissime Jesu, tibi omnes creaturae laudes et gratiarum laudes concinunt, quod coelo descendens innocens corpus tuum pro nobis in cruce obtuleris et coelum conscendens nobis hoc ipsum immortale in solatium simul ac salutem amanter donaveris et pignus erga nos summi amoris in hoc sacramento relique-ris. Qui cum Deo Patre et s. Spiritu vivis et regnas in saeculorum saecula. Amen.

Ad Pax Domini.

Deus Pater, qui me creavit, benedicat me †, Filius, qui in cruce passus est pro me †, defendat me; s. Spiritus, qui in baptismo effusus est in me †, illuminet me. Amen.

Digitized by Google

Ad Agnus Dei.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.

Pax illa, quam discipulis reliquisti, semper firma maneat in corde meo et sit semper inter me et inimicos meos visibiles et invisibiles. Amen.

Ad Communionem.

Ave, sanctissimum corpus Domini in hoc Sacramento; te confiteor labiis, ex toto corde diligo, te concupisco. Dignare, quæso, infirmam hodie animam meam te salutarem victimam et fontem omnium gratiarum spiritualiter recipere, tam clementer visitare, ut medelam in corpore et anima ex præsentia gaudeam invenisse; ne respicias, Domine, ad iniquitates meas, sed ad miserationes tuas infinitas. Tu es agnus ille immaculatus, qui pro totius mundi salute patri aeterno victimaris. O manna dulcissimum, o nectar suavissimum! Accende in me charitatem tuam, exstingue vitia, virtutes infunde, gratias adauge, salutem

Digitized by Google

mentis et corporis tribue, ut tibi conjunctus et unitus tecum unus efficiar spiritus. O venerabile sacramentum, per te omnes inimici mei repellantur, peccata dimittantur et omnia mala per tuam præsentiam excludantur; bonum propositum tribue, mores corrige et omnes actus meos in tua voluntate dispone; intellectus per te, o dulcissime Jesu, hic novo lumine illustretur, affectus inflammentur, spes roboretur, ut vita mea emendata semper proficiat in melius et tandem conferatur exitus beatus. Amen.

Ad Complendam.

Sanctum hoc sacrificium et immaculatam hostiam corporis et sanguinis D. N. J. C. in vera charitate Spiritus s. attentius deprecor, ut ante Dominum pro meis peccatis, offensis et negligentiis in conspectu throni majestatis ejus intercedant, ut, accepta peccatorum remissione perque gratiam ejus vera justificatione, ad ipsius merear aliquando claram visionem pervenire. Ad laudem et gloriam nominis ejus, qui cum patre et spiritu s. vivit et regnat trinus et unus, vivus et verus Deus per omnia sæcula semper benedictus. Amen.

Digitized by Google

Ad Benedictionem.

Benedictio D. N. J. C. filii Dei, qui factus victima pro peccatis totius mundi totum mundum redemit, benedicat omnibus nobis omni benedictione spirituali. Amen.

Post Missam.

Alme Deus, qui nos inopes homines etiam hac hora in aspectu tuo stare voluisti ad laudem et honorem nominis tui: condona mihi in hoc ipso precationis tempore commissa errata, sive per occupationem sive per mentis et cogitationis in absurda desideria inductionem, ne glorietur inimicus adversum me, quod ne ipso quidem tempore doxologiae, confessionis atque synaxeos a peccato mihi caverim. Fac, ut adversus insultus satanæ, adversus carnem, ad ea, quæ sunt inimica spiritui, sollicitantem adversus mundum, sim fide stabilis, spe firmus, charitate fervidus, puroque spiritute glorificem. Quaeso, ut ostendas mihi, Domine, quæ sit tua potestas in figmentum tuum et potentia et regnum in saecula. Amen.

Digitized by Google

In exitu templi.

Valete vos omnes fideles ut in pag. 65.

Feria quarta.

Die Mercurii.

Oratio ad Deum Patrem.

Confiteor tibi, o pater, omnia peccata mea, quibus te offendi. Heu infelix ego non veritus sum, exsecranda illa perpetrare scelera, quæ dilectus filius tuus tantis cruciatibus expiavit. Ingratus tibi fui pro omni dilectione et benignitate, mihi a te exhibita. Sed nunc, Pater misericors, rogo, ne memineris injuriarum, quas a me accepisti. Converte oculos tuae pietatis ad me, et in gratiam me recipe; propono enim, adjuvante tua gratia, corrigere vitam meam. Non peto, Domine, ut mala, quae commisi, inulta maneant. Ulciscere in me injurias, quas intuli tibi; humiliter me submitto flagellis misericordiæ tuae. Scio, quod non poterunt tot mihi adversa accidere, quia plura et majora

Digitized by Google

meritae sunt iniquitates meae. Itaque nonnisi gratiam tuam postulo, et, ut justitiam misericordia temperes, rogo. Quid vero retribuam tibi, o benignissime pater, pro omnibus, quae tribuisti mihi? Equidem, neque in coelo neque in terra aliquid invenio, quod tibi gratius sit, quam ipse Unigenitus tuus. Eum igitur, qua possum, gratitudine tibi offero in unione illius amoris, quo tu mihi eum dedisti et in hunc mundum misisti, ut humanam assumeret naturam mortemque subiret amarissimam. Offero merita incarnationis passionis et mortis ejus. Offero afflictionem, obedientiam, humanitatem, patientiam et ardentissimam charitatem illius; offero vincula, verbera, conculcationes, contemptus, conspuitiones, opprobria, irrisiones, blasphemias et quidquid perpessus est. Haec omnia tibi offero ut dignum sacrificium ad gloriam tuam pro omnibus peccatis meis.

Suscipe, quaeso, unigeniti filii tui merita pro detestandis iniquitatibus meis. Ah, bone Jesu, vulnera cor meum jaculo tui amoris, ut tam ardenter te diligam, quam ardenter a me vis amari, totusque per amorem in te transformer ac tecum unus spiritu efficiar. Fiat, Domine, in me et de me sancta tua voluntas nunc et semper. Amen.

Digitized by Google

Alia oratio pro remissione peccatorum.

Fateor tibi peccata mea, æterne pontifex et veri tabernaculi sacerdos, qui semel in anno in mystica sancta intrasti et immaculatum agnum proprii corporis tui ad hostiam dedisti pro peccatis nostris. Tibi confiteor, quia debitor sum tibi; non solum decem millia talenta delictorum meorum, sed totius vitae meae rationem reddere debeo, qui in omni vita mea me deliquisse confiteor: sed nunc, Domine, praevenio faciem tuam in confessione et in conspectu angelorum et sanctorum tuorum confiteor tibi peccata mea et veniam postulo pro delictis; propitius esto mihi peccatori, nec respicias in peccata mea, sed ad justitiam Jesu Christi filii tui converte oculos tuos. Ut autem celerius exaudiri merear, dulcis Jesu, fili Dei vivi, qui te advocatum et mediatorem inter nos et patrem tuum constituisti; obsecro te per charitatem tuam, per passionem perque singulas guttas sanguinis tui, ut ss. passionis et mortis tuae meritis mihi dones gratiam, quo conjunctus tibi, o Jesu, mundo totus moriar. Tibi soli deinceps vivam et ferventi amore inhaeream. Precor te, ut in hoc tempore accepto exau-

Digitized by Google

dias me Deus et adjuves me, ut nunc perfecte valeam cognoscere peccata mea, tibi æterno judici confiteri, et sic veniam consequi omnium delictorum meorum, quatenus ad tremendum judicium tuum securum me ab omnibus accusationibus inimici facias pervenire. Per D. N. J. C. Amen.

Ad Kyrie eleison.

O speculum claritatis aeternæ, in quo omnes angeli et sancti Dei sine fine inspiciunt! Da nobis, Domine, per tuam liberalitatem, ut te cum omni militia cœlesti perfrui et perpetuo aspicere possimus, quoniam cor nostrum in te solo confidit: quo impleri possint novem chori angelorum, qui per Kyrie eleison novem denotantur. Amen.

Ad Gloria in excelsis.

O Jesu amabilissime, humanam assumsisti naturam, ut faceres nos participes divinitatis tuae. Factus es filius hominis, ut nos filii Dei efficeremur, et fieremus per gratiam, quod tu ab æterno fuisti per naturam. Pro quo beneficio tibi, o Jesu, non quas debeo, sed quas possum gratias ago, quod me miserrimum pecca-

Digitized by Google

torem in ea gratiae tempora felicia incidere voluisti, orans, ut dein auxilio gratiæ mihi adesse digneris, quo adjutus, ego communis illius hominis salutis, de qua angeli, Christo in hunc mundum edito, hoc canticum Gloria in excelsis Deo! cecinere, particeps fieri queam. Amen.

Ad Collectam.

Omnipotens aeterne Deus, te suppliciter exoramus, ut de excelso sanctuario tuo super congregationem nostram respicere digneris.

Ecclesiæ tuæ preces, pro nobis omnibus ad te sacerdotis hujus ministerio destinatas, clementer exaudias. Ideoque pro immensa tua misericordia largiaris nobis peccatorum condonationem, integritatem mentis, incolumitatem corporis, necessariam vitæ sustentationem, aëris temperiem, fertilitatem terrae, pacem in diebus nostris, catholicae fidei unitatem, exstirpationem hæreseon, consiliorum impiorum destructionem, veræ orthodoxæque religionis incrementum, flagrantiam charitatis et pietatis, in precatione sinceram animi devotionem, tolerantiam longanimitatemque in adversis, in spe gaudium, et quidquid denique sive ad animae, sive ad corporis salutem confert, tuaeque unius imprimis servit

Digitized by Google

gloriae. Per D. N. J. C., qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus s. Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Sub epistola.

Domine Jesu Christe, gratias tibi ago, qui per sanctos patres et prophetas nos docuisti, et quae in te et per te futura erant, per ipsos praedixisti; ac deinde, cum impleres omnia, per apostolorum et evangelistarum tuorum scripta, doctrinam et opera de omnibus plene nos instruxisti. Rogamus te, omnipotens Pater, da nobis, tam veterum, quam modernorum sanctorum tuorum precibus et meritis firmiter credere et tenere, quod docuere, ac sequi bona opera ad tuam solius gloriam, ad proximorum nostrorum exemplum et omnium nostrum salutem.

Sub Graduali et Tractu.

Domine, non secundum peccata nostra facias nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. Ne memineris, Domine, iniquitatum nostrarum antiquarum, cito enim anticipent nos misericordiae tuae, quia pauperes facti sumus nimis. Adjuva nos, Deus salutaris noster,

Digitized by Google

et propter gloriam nominis tui libera nos et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum. Amen.

Ad Evangelium.

Deus, splendor mirabilis, mollem mihi largire precor mentem, quæ sine difficultate inspirationes divinas concipiat, quæ suavi Jesu Christi jugo se submittat et leve coelestium mandatorum onus perferat. Mox frontem signo, ut non erubescam evangelium crucis, sed, ut Christi doctrinam palam pro me feram et in moribus exprimam, ac tota vita et conversatione ostendam; os signo, ut ore confitear, tales ex ore credentis sermones procedere debere, qui crucem Christi redoleant et qui audientibus dent gratiam et ad salutem nos aedificent; pectus signo, ut quae ore confiteor, demonstrem, eadem firmo cordis assensu me asseverare et credere. Amen.

Finito Evangelio. Permane in me, quaeso Domine, et aeternae vitae mercedem tribue, ut effuso ex me septemplici, quod est ad mortem, peccato, septiformis spiritus consequar gratiam.

Digitized by Google

Ad Credo.

Unigenitus Filius et verbum Dei, cum sis immortalis, dignatus es propter nostram salutem assumere carnem de immaculata Virgine Maria; qui crucem subiisti, Christe Deus, morte conculcans mortem, unus exsistens sanctae Trinitatis conglorificatus Patri et spiritui sancto, salvos nos fac.

Sancta Trinitas, conserva hanc, oro, fidem meam incontaminatam, ut, quod in regenerationis meæ symbolo baptizatus in patre et filio et spiritu sancto professus sum, semper obtineam; te patrem nostrum, filium una tecum adorem; et s. spiritum tuum, qui ex te per unigenitum tuum est, promerear, qui mihi idoneus ad fidem testis est, dicens: Pater, omnia mea tua sunt et tua mea, Deus meus Jesus Christus, manens in te, ex te et apud te semper Deus, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.

Ad Offertorium.

Omnipotens aeterne Deus, non dignus sum propter scelera mea, quin in conspectum tuum veniam et coram te com-

Digitized by Google

pream, aliquid petiturus; multo minus, ut exaudiar et quod a te peto, feram. Sed qui ex paterno erga nos amore filium tuum constituisti mediatorem inter te et peccatores, hunc tibi conciliatorem offero, confidens quod majestas tua me hujus aspectu sit exauditura et propter hunc me voti mei reddes compotem, quem tu perpetuo honoras et cui nil denegas. Te oro, ut hoc sacrificium a me misero suscipias, nec in exspectatione mea confundere me patiaris.

Misericors Deus, debeo miser decies mille talenta; numerus peccatorum meorum in dies augetur et ultra modum crescit, ut non possim omnino æs alienum tantum persolvere: quidquid autem præsto servitii, tam antea me debere et ad hoc obstrictum me esse memini. Sum praeterea, si mecum perpendo rectitudinem vitæ meæ, in conspectu tuo veluti pannus summa foeditate menstrui pollutus. Quapropter veniam oro, misericordiam expeto; tibi pro peccatis meis offero hostiam immaculatam, scilicet agnum Jesum Christum.

Ad Orate Fratres.

Deus memor sit omnis sacrificii tui, exaudiat te Dominus, protegat te nomen Dei Jacob et suscipiat illud de manibus tuis ad laudem et gloriam nominis sui,

Digitized by Google

ad salutem animarum nostrarum et omnium fidelium vivorum et defunctorum. O sancte, o fortis, o immortalis Deus, fons omnis misericordiæ, qui non vis mortem peccatoris, sed, ut convertatur et vivat et salutem consequatur, qui omnibus invocantibus te promptus es ad auxilium, et sufficientem donas gratiam; me clementer respice. Expers sum omnis gratiæ, nec merita ulla in me agnosco; dignus sum morte, vita æterna indignus, nisi tu me per gratiam tuam praepares et idoneum reddas. Idcirco eum tibi offero, in quo est thesaurus omnium meritorum, qui est via, veritas et vita, cui tu spiritum gratiæ uberem largitus es et omnia dona sine mensura misericorditer effudisti. Oro te humillime, ut hoc sacrificium a me misero peccatore suscipias et me tantae perfectionis participem efficias, ut adjuvante ejus gratia vitam inveniam et sic ambulem in veritate, ut merita in me augeantur; ut sic per misericordiam Dei mortem effugere aeternam et vitam coelestem consequi possim. Amen.

Ad Praefationem.

Domine Deus, pastor noster, eleva mentes nostras ad regna coelestia, terre-

Digitized by Google

nis affectibus mitigatis, considerantes, nos nihil in terris debere concupiscere.

Gratias ago tibi, Domine J. C., cujus gratia sum id, quod sum, cujus misericordia vivo, moveor et subsisto. Dignare me laudare, optime Jesu, et ss. passionis tuæ laudes decantare. Judex justus et verax, sapiens in judicio, pacificus in miserationibus. O mellifiua Patris providentia, cujus nomen coram angelis honorificentia clarum est, mitte sanctos angelos de supernis sedibus majestatis tuae, qui dulci modulamine nobiscum personent canticum. Adeste angeli, adeste coelites ex qualibet turba spirituum coelestium, qui statis circa Dei thronum; glorificate Dominum nobiscum, ut nos humili confessione devotaque precatione sine fine cantemus Domino: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt coeli et terra gloria tua. Osanna in excelsis; benedictus, qui venit in nomine Domini; Osanna in excelsis.

Ut conversaretur in terris, caro factus est: ut delicta carnis aboleret, hostia factus est, ut per passionem mortemque suam credentibus donaret vitam aeternam. Amen.

Sub Canone Missae.

Clementissime Salvator Jesu Christe, precor primo, ut ecclesiam pacifices, ne a

Digitized by Google

fidei hostibus infestetur, ut eam custodias a vitiis et daemonibus, ne conculcetur, ut eam digneris coadunare dispersam inter paganos et infideles, ut facias habitare omnes unanimes in domo domini, et multitudo credentium sit cor unum et anima una, cujus gratia filius tuus mortuus est, nimirum ut filios congregaret in unum. Oro pro summo Pontifice Romano N., ut sedulo superintendat in oves pascui tui, quibus tu redimendis volens mortuus es. O dulcissime Domine Jesu Christe, fili Dei vivi et mundi redemptor, inter omnes me miserum peccatorem confiteor, sed tu, misericors pater, qui omnium misereris, non me patiaris a tua misericordia fieri alienum. Tu, qui inducias vivendi praestas, corrigendi mihi devotionem tribue, excita in me mentem, quae te requirat, te desideret, te semper et pro omnibus amet, te timeat, tuamque faciat voluntatem. Praecipue te deprecor, Domine, ut omnes, qui mei mentionem faciunt in suis orationibus et qui se meis precibus indignis commendarunt, et qui mihi aliquod charitatis officium impenderunt, tum et illos, qui consanguinitatis aut cognationis affectu mihi sunt propinqui N. N., tum et illos, qui nunc sunt superstites, quam qui ex hac vita migrarunt, gubernare digneris, ne

Digitized by Google

pereant, sed salventur; et in societatem angelorum et omnium sanctorum in paradiso tuo me facias pervenire. Pater noster et Ave Maria etc.

Sub Elevatione SS. Hostiae.

Pater clementissime, respice in faciem Christi tui, qui in ara crucis seipsum pro nobis peccatoribus obtulit, ut nos peccatis mortuos, sibique convivificatos, tibi reconciliaret. Salvum fac igitur populum tuum, Domine, et benedic hæreditati tuæ. Domine Deus pater, qui singulari isthac corporis filii tui hostia, totius mundi solvisti delicta; hac oblatione placatus maculas scelerum nostrorum absterge et omnium Christianorum vivorum et defunctorum dimitte peccata nobisque praemia concede vitæ æternæ. Per D. N. J. C. etc.

Ad Elevationem Calicis.

Domine Jesu Christe, qui in ultima coena hoc adorandum corporis sanguinisque tui sacramentum instituisti, in memoriam amarae passionis tuæ, miserere mei et da mihi illud firma fide semper credere, debita reverentia et devotione frequentare, contra hostes catholicam de hoc

Digitized by Google

sacramento veritatem fortiter asserere, salubriter confiteri et haec sacratissima mysteria sic venerari, ut passio tua in me nunquam fiat infructuosa, sed mihi cum caeteris electis tuis conducat et efficax sit ad vitam aeternam. Amen.

Post Elevationem.

Laudem, gloriam et gratias ago tibi ex toto corde, o redemptor et salvator meus J. C., quod tu ex singulari et ineffabili charitate in hunc mundum venisti, homo factus et usque ad crucis mortem obediens fuisti, propriam carnem in mortem tradens et pretiosum tuum sanguinem in remissionem peccatorum effundens, per quod omnis scriptura impleta et genus humanum caro pretio redemptum est.

Quomodo autem tibi rependam omnia beneficia, quae mihi fecisti? beneficia quae etiam in hac Missa proponis et renovas in adorandis mysteriis, quod tu pro nobis in s. cruce in nimia dilectione obtulisti, ut rectus fructus prioris cruenti sacrificii semper in cordibus nostris innovari valeat et debeat. Et quare haec, nisi ad redemptionem et salutem nostram, ut largiter perfruamur omnium donorum et gratiarum spiritualium. Agedum sine, amaram

Digitized by Google

passionem tuam mihi tam efficacem esse, ut ego unus spiritu tecum efficiar. Amen.

Ad Memoriam Defunctorum.

Sanctissimam dilecti filii tui passionis memoriam recolentes, pro liberatione animarum omnium fidelium defunctorum hic et ubique in Christo quiescentium et præsertim N. et N. quaesumus et per eandem passionem tuam rogamus,ut ab omnibus pœnis liberentur; sentiant quoque per virtutem sanctae crucis tuum levamen, Spiritus s. gratiam, consolationem B. V. Mariae et omnium sanctorum, pro quibus nunc filii tui recolimus passionem et sanctorum imploramus suffragia. Per D. N. J. C, etc.

Cum sacerdos tres Cruces facit.

Sanctificet et benedicat me divina majestas, muniat me regalis Deitas, servet me aeterna Trinitas, regat me ineffabilis sua benignitas. Me conducat in omne bonum excelsa unitas, protegat me immensa Trinitas, gubernet me vox Patris, reficiat me sapientia filii et virtus s. spiritus illustret me. Amen.

Digitized by Google

Ad Agnus Dei.

O Adonai, per quem omnia liberata sunt, libera me ab omni malo. O Adonai, per quem omnia consolata sunt, consolare me. O Adonai, per quem omnia adjuta sunt, adjuva me in omnibus necessitatibus, angustiis, negotiis et periculis meis, et de omnibus insidiis inimicorum meorum visibilium et invisibilium libera me. Da nobis pacem in diebus nostris, et perduc nos ad finem bonum et perfectum. Amen.

Da nobis pacem in remissione peccatorum, da pacem in conscientia, quae est pax tua. Da pacem cum proximo, ut neminem odio habeamus, nec inimicum existimemus illum, qui abs te creatus est, sed omnes vere diligamus, sicut et tu diligis omnes, et nil odisti eorum, quæ fecisti.

Ad Communionem.

O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia et futurae gloriae nobis pignus datur.

Digitized by Google

Deus, qui nobis sub sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti: tribue, quaesumus; ita nos corporis et sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.

Domine Deus, gratias tibi ago, quod me miserum peccatorem satiare dignatus es corpore et sanguine filii tui D. N. J. C.; ac precor, ut hoc nostrae redemptionis pretium tuo munere semper in me efficax sit, utque crescam in fide et charitate et tuam denique unius gloriam unice quaeram per omnem vitam. Oramus etiam te, Domine, ut perceptio ss. mysteriorum valeat nobis in viaticum aeternae vitae, in communicationem et donum s. Spiritus. Amen.

Ad ultimam Collectam.

Placeat tibi, sancta Trinitas, hoc obsequium servitutis et praesta, ut hoc sacrificium, quod oculis tuae majestatis sacerdos obtulit, sit placens et acceptabile, mihique et omnibus, pro quibus ille obtulit, sit te miserante propitiabile in vitam aeternam. Amen.

Digitized by Google

Ad Ite Missa est.

Hostia Christus videlicet missa hac oblata est Domino Deo Patri et preces nostrae ad patrem missae et effusae sunt. Quare per eam ipsam hostiam nobis omnibus propitius esse digneris, obsecramus te, sancte pater, cui laus, honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

Ad Benedictionem.

Pater et Filius et Spiritus sanctus, qui sunt una Deitas et divina majestas, benedicat nos benedictione coelesti; qua bonis supernaturalibus gratiae repleamur et custodiamur ab omni adversitate et impugnatione carnis, mundi et spiritus.

Peracto Officio.

Dominator omnium, redemptor et salvator fidelium, qui omnem meam infirmitatem auferre vales, quia omnipotens, et vis propitiari iniquitatibus meis, quia misericors es, et ad hoc in mundum venisti, ut quaeras perdita, et salves, qui perierint.

Concede pro misericordia tua, ad me-

Digitized by Google

am servire salutem, quod pro omnium redemptione impendere dignatus es; ut virtute ss. corporis et sanguinis tui, cui modo spiritualiter communicavi, mundus a peccatis, purus a sordibus et a periculis liber efficiar; qui ob idipsum immolari in cruce voluisti, ut sacrificio corporis et sanguinis tui et pro delictis propitiationem et a periculis liberationem toti mundo impetrares. Da, ut hac coelesti alimonia spiritualiter refectus in fortitudine cibi istius et in lege tua ambulem. Praeveni me gratia tua, ut nil separet me abs te in hoc saeculo. Subsequatur me misericordia tua, ut in essentiae tuae beata visione cum electis tuis in aeternum perfruar. Amen.

In exitu templi.

Valete vos omnes ut in pag. 65.

Digitized by Google

Feria quinta.

Die Jovis.

Precatio devotionis plena.

Cognosce, Domine, ignosce et miserere, parce ignorantiae meae et multae imperfectioni, noli me ut temerarium reprobare, quod audeam servus indignus et inutilis te Deum terribilem et nimis metuendum sine cordis contritione et lacrymarum fonte, sine reverentia debita alloqui, laudare et adorare, cum te angeli adorant, teque laudant, tremunt mira exsultatione repleti. Ego peccator, cum tibi laudes dico, sacrificium offero, cur non toto corde expavesco et toto corpore contremisco? Volo et cupio cum fletu et tremore inservire tibi, sed non possum perficere, quod desidero; tanta est in me vesania et stupor. Quomodo insensata facta est anima mea, ut non terreatur, dum stat ante Deum et illi laudes decantet? Quomodo induratum est cor meum, ut non cogitem, coram quo loquar? homo cum Deo, crea-

Digitized by Google

tura cum creatore, cum eo, qui omnia fecit ex nihilo, quique, ut Dominus, me servum perditum sanguine suo redemit? Sed quid est homo, aut quid potest sine gratia tua? universa salus nostra ingens est misericordia tua. Tu dives in misericordia et largus in præmiis, da mihi de bonis tuis, ut ex iis serviam tibi: non enim aliunde possumus servire, neque placere tibi, nisi de tuo munere.

Confige, quæso, timore tuo carnes meas, ut metuant nomen tuum. Rogo te, bone Jesu, per illas lacrymas, quibus nobis perditis mirabiliter subvenire dignatus es, da mihi per Spiritum sanctum hanc gratiam, ut vere compungar et piis lacrymis peccata mea defleam. In multis eheu offendimus omnes, propter nimiam nostram fragilitatem! Da mihi ergo gratiam, Deus amabilis, ut ex dulcedine amoris tui omnia ea, quæ tibi displicent, detester et deplorem. Tribuo benignus, ut pretiosus ille calix passionis tuae mihi sapiat, meque inebret, ut ex commemoratione tuae miserationis ad fletum permovear et sic in amorem tuum mens mea accendatur, ut omnis mundanæ vanitatis obliviscar. Domine, da mihi affectum desiderii mei propter preces et merita B. V. Mariæ et omnium Sanctorum: per dilectum filium

Digitized by Google

tuum et salvatorem nostrum Jesum Christum. Amen.

Alia Confessio.

Clemens et benigne redemptor, imbecillis ego et infirmitate oppressus, quique a perfectione longissime absum, ad te venio. Conscientia mea me accusat et quovis momento invenio, nullam esse in carne mea sanitatem; quotidie te offendo et omnes meæ cogitationes, verba et opera, quae facio quaeque omitto, esus, potus, somnus et vigiliae, omnes mei sensus sive externi sive interni ad malum sunt inclinati. Quo me vertam? Requiris, Domine, a me justitiam et ad hoc auxilium mihi tuum et robur promisisti, ut perficere possim, quae praecipis. Sed non quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo, malum. Non venit mihi in mentem vera poenitentia et contritio, nec dolorem aliquem ex peccatis capio; usque adeo vita impia me delectat, ut bonitatis tuae et dilectionis, imo passionis et mortis tuae obliviscar; peccata mea tot sunt et gravia, quibus iram tuam promerui, ut jam dudum mihi in abyssum perditionis fuisset migrandum, nisi tuo me auxilio sustinuisses et ope muniisses. Quod ergo non funditus

Digitized by Google

interii, tuae misericordiae et bonitati adscribo. Quapropter ad te curro, clementissime Deus, et coram te cordis mei desiderium effundo. Tu enim perpetuus mihi adjutor exsistis. Confiteor in conspectu tuo, Domine, peccata mea, eaque deploro. Rogo te humiliter propter passionem tuam, propter matrem tuam amantissimam et propter eam, quæ te effusissime amavit, Magdalenam, cui tu multa remisisti peccata; sis mihi propitius misero peccatori, misericors me respice. Aufer a me mundi hujus amorem et carnis concupiscentias, ingere cordi meo gratiae tuae et ardentem beatitudinis cupiditatem. Da mihi veram poenitentiam de peccatis meis. Fac, ut defleam, quod adhuc justo ex delictis meis dolore non sim compunctus; crea in me cor mundum, ut tandem omnia vitia mihi penitus displiceant. Concede, ut per veram poenitentiam tibi reconcilier et in gratiam tuam recipiar: largire mihi firmum propositum, vitam meam corrigendi, utque tua ope adjutus, in bono perseverem, usque ad vitae meæ exitum et ad aeternam tandem patriam perveniam, ubi te perpetuo adorare in regno tuo, tibique aeternas gratias agere possim. Amen.

Digitized by Google

Ad Kyrie eleison.

Quod Patres veteris testamenti precati sunt: sanctissimam in divinis Trinitatem, ut ea per adventum et introitum Jesu Christi dignaretur eos consociare novem choris Angelorum, ita et nos precamur, ut cum Dominus per nonaginta novem oves in deserto relictas et per ipsam ovem perditam, genus humanum perditum quasi decimum coelestem chorum per se restaurandum pulchre subnotavit, sic et nos socios sibi adjungere non dedignetur. Amen.

Ad Gloria in Excelsis.

Adoro te, redemptor hominum, advocate peccatorum, laborantium refrigerium, solamen oppressorum, merces justorum. Cum essemus irae filii et damnationis et inimici tui, violatores imaginis tuae, tum tu memor fuisti misericordiae tuae, deque coelesti habitaculo descendisti in hanc lacrymarum vallem, gemitus nostros exaudisti, compassione tractus super miseria populi tui, pro qua ore et corde simul Deo laudes concino.

Digitized by Google

Ad Collectam.

Sempiterne Deus, mediator noster, quandoquidem unaquaeque precatio, quae in tua voluntate inchoatur, etiam cum gratiarum actione per te finiri debet, rogamus te: concede nobis benigne, quidquid sacerdos jussu tuo, loco totius christianitatis a tua majestate tam temporaliter, quam perpetim supplicat. Per J. C. Dominum nostrum, qui tecum et cum s. Spiritu vivit et regnat verus Deus in aevum. Amen.

Ad Epistolam et Graduale.

O aeterna Dei sapientia, imploro te, velis nobis effectum dare, ut per humilitatem de virtute in virtutem ascendamus, ut poenam aeternam evadamus et sic te unicum et verum Deum in Sion videre mereamur, secundum significationem cantici, quod jam sacro isto ad laudem et gloriam tuam observatur.

O fili Dei, Jesu Christe, concede nobis per intercessionem B. Mariae semper Virginis auxilium et subsidium in omnibus operibus nostris, semper, et praesertim,

Digitized by Google

quamdiu nos in isto miserabili exilio versamur. Amen.

Ad Evangelium.

Mitissime Domine Jesu, qui totum excaecatum mundum per fulgidum evangelii tui lumen illuminasti et in unitate fidei congregasti; praesta, ut nos in eadem unitate constanter persistamus et salutari tuae doctrinae in omnibus actionibus nostris obtemperemus. Quocirca frontem crucis signo consigno, ut iræ reliquarumque passionum incendia exstinguere possim. Os signo, ut diabolus laudem Dei nunquam in ore impediat meo; signo cor, ut fides orthodoxa neque amore, moerore, formidine, aut ulla unquam suggestione diabolica in me possit impediri.

Per istos sermones s. Evangelii indulgeat nobis Dominus omnia delicta nostra et faciat nos adimplere sua praecepta. Amen.

Ad Symbolum Apostolorum.

Te, Domine Deus, laudo, tibi gratias ago pro immensis beneficiis tuis, quibus humano generi perdito subvenisti, et precor te, ut, qui sic pro nobis flexus es, ut

Digitized by Google

homo fieri dignareris, non in nobis patiaris perire, quod decrevisti miseratus assumere, et fac me tibi gratias et debitam servitutem exhibere.

Sancte Pater, omnipotens Deus, te oro, ut veram, rectam et Christianam fidem mihi largiaris, quæ sincera et incorrupta sit, nullis errorum tricis involuta, nec labe perversitatis maculata; fac etiam ut opera meae fidei conveniant, ne fides bona malis operibus polluatur; ne te vita mea abnegare videar, quem fide vera confiteor. Tribue, o mitis Pater, ut tibi bono proposito et voluntate prompta serviam, ut opera justitiae perficiam, veritatem diligam, mendacia fugiam, nil, quod vanum sit, cogitem vel loquar, ut te timeam, amem, colam et tua praecepta observem dignusque efficiar, ut pro beneficiis tuis gratias agam et habeam sempiternas. Hanc etiam mihi praesta gratiam, ut ea tantum sequar et confitear, quæ s. tua Ecclesia, firmamentum veritatis, docet et confitetur, donec ad te in regnum tuum perveniam. Per D. N. J. C. Amen.

Sub Offertorio.

Domine Deus, sis mihi praesens cum tuo principali Spiritu, ut sacrificium, quod

Digitized by Google

hic et toto orbe terrarum in memoriam passionis tuae offertur, sit mihi et omnibus peccatoribus vita, salus ac tutela contra omnes adversitates et tentationes, ita, ut nos post hanc vitam suscipiamur ad æterna tabernacula.

Quomodo nos amasti, Pater clementissime, qui etiam proprio Filio non pepercisti, sed pro nobis impiis tradidisti illum; ille autem Filius tuus tibi obediens fuit usque ad mortem, mortem autem crucis: hic sustulit chirographum peccatorum nostrorum et cruci affixit illud; crucifixit peccatum et occidit mortem: unus ille inter mortuos liber potestatem habuit ponendi animam suam pro nobis et iterum sumendi eam pro nobis. Ipse igitur victor est victima, sacrificium et sacerdos! Merito valide in eum sperabo, quia tu, Pater excelse, omnes meos languores sanabis, per eum, qui sedet ad dexteram tuam et intercedit pro nobis.

Per ipsum me justifica, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus; per ipsum caput nostrum, in quo nulla est macula, libera me ejus membrum, licet vile et infirmum. Ecce hic est Filius tuus dilectus; pro me alapis caesus, sputis illitus, opprobriis affectus, os suum

Digitized by Google

non aperuit. En, qui peccatum non fecit, peccata nostra pertulit et languores nostros suo livore sanavit. Te igitur oro, Rex aeterne, per Filium tuum: fac me in sanctis operibus propter nomen tuum perseverare usque in finem, ne ad ultimum diem reus sistar ad tribunal Filii tui, sed ibi integer et justus appaream, et post hujus vitæ miserias aeternam adipiscar vitam. Amen.

Ad Orate Fratres.

Domine Jesu Christe, qui pro redemptione mundi miserias et angustias, calumnias et injurias, pœnas et afflictiones, passionem et mortem patienter ferre voluisti, tu per haec omnia, quae propter peccata nostra pertulisti, a peccatis omnibus et vitiis, ab omnibus hujus saeculi periculis et infernalibus pœnis, a subitanea morte et aeterna me libera. Da mihi, obsecro te, omnia, quae pro me tolerasti, non oblivisci, sed semper prae oculis habere et ardenter amplecti, ut laboris et doloris participem, etiam requiei et consolationis tuae me velis esse consortem. Amen.

Digitized by Google

Ad Praefationem usque ad Elevationem.

Procul hac hora facessant omnes saecularium negotiorum curae, procul sint mundi hujus cupiditatum imagines, ut totus Deo contemplando atque gratias agendo vacare queamus.

Gratias igitur ago pietati tuae ex totis praecordiis meis pro sancta incarnatione et nativitate tua, et pro gloriosa genitrice tua, de qua carnem assumere dignatus es propter nos et propter nostram salutem, ut sicut verus Deus ex Deo, ita verus homo ex homine esset.

Gratias tibi ago pro SS. effusione pretiosi sanguinis tui, quo sumus redempti; simul et pro sacrosancto corporis et sanguinis tui mysterio, quo in ecclesia tua pascimur et potamur, abluimur et sanctificamur, ut summae divinitatis participes efficiamur.

Gratias itemque ago corde et labiis infinitae misericordiae tuae, Domine, pro omnibus beneficiis, quibus nobis miseris peccatoribus per Filium tuum D. N. J. C. subvenire dignatus es, qui sine fine ad dexteram tuam sedet, quique interpellat pro nobis per suam humanitatem et simul tecum miseretur secundum suam

Digitized by Google

divinitatem, qua tibi coæqualis est; cui omne genu flectatur, coelestium, terrestrium et infernorum, per quam omnis militia cœlestis te celebrans canit: Sanctus es, domine Deus Sabaoth, laudandus, o Christe, Fili Dei vivi; salvos nos fac, quaesumus Domine, te rogamus per Jesum Christum Filium tuum, ut, cum nihil per se dignum tibi possimus offerre, tu haec sacrificia per Christum accipere placitaque habere digneris. Imprimis pro superna pace et salute animarum nostrarum Dominum nostrum deprecamur.

Pro bono statu sanctae Ecclesiae et omnium concordia rogamus, ut ecclesiam suam in vera pace ab omnibus peccatis et vitiis, quæ sola veram pacem scindunt, custodire dignetur et tamquam pastor bonus nos gregem et populum suum et oves pascuae suae pascere dignetur et regere, ut inter tot hujus saeculi procellas in rectitudine fidei stabiles perseveremus.

Oremus et pro summo Pontifice Romàno N., pro Antistite nostro N. et pro universo ecclesiastico statu. Memor esto et mei, qui sancto tuo templo indignus assisto, consanguineorum, amicorum N. et N. omnium, qui mecum hoc Sacrificium spiritualiter offerunt, eorum quoque, qui sive animae sive corporis beneficia quae-

Digitized by Google

libet impenderunt, sive in corporis necessitatibus sive in spiritualibus bonis ullam praesistere adjumentum. Adversariis et inimícis etiam, qui sive verbo, sive opere aliquod nocumentum nobis unquam intulerunt, dimittimus ex animo secundum exemplum Unigeniti tui, qui moriens in cruce pro offensoribus oravit. Flagitemus et pro aëris temperie, abundantia terrae fructuum et pacificis temporibus; pro aegrotis, laborantibus, captivis te Dominum supplicamur, ut tua gratia nos conserves. SS. Dei genitricis Mariae cum omnibus Sanctis memoriam celebrando, nosmetipsos et omnem vitam nostram Deo cõmendamus: quoniam decet omnis honor et gloria et adoratio Patrem et Filium et Spiritum sanctum nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Ad Elevationem Hostiæ.

Salve, lux mundi, verbum Patris, hostia vera, viva caro, Deitas integra, verus homo! Ave, pretium nostrae redemptionis, ave, viaticum nostræ peregrinationis, ave, solatium nostrae exspectationis, ave, præmium nostræ retributionis, qui hic in mystico sacramento, sub quo verum tuum

Digitized by Google

corpus et sanguis vere continentur, nobis immolaris. Emitte in nos Spiritum tuum, cujus sanctificatione a cunctis emundemur vitiis, cujus praesentia regamur, cujus ductu ad salutem progrediamur, cujus denique inhabitatione in electorum tuorum grege numerari mereamur. Amen.

Ad Elevationem Calicis.

Ave, sacer sanguis redemptoris mei, charum pretium salutis meae; ab omnibus peccatorum inquinamentis pretiosissimus tuus me abluat et purget sanguis, ut mente in te accensus super omnia te diligam et per incendium amoris tui a me ipso deficiam, tibique soli ac in te solo vivam et moriar. Amen.

Post Elevationem.

Omnipotens Pater, qui sic dilexisti mundum, ut Filium tuum unigenitum dares, ut omnis, qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam aeternam: per hunc dilectum Filium tuum, cujus passionem, mortem, resurrectionem et in coelos ascensionem recolo, te oro: Educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo; et quem propria merita faciunt lethalem timere sententiam, per hujus dilecti

Digitized by Google

Filii tui ad dexteram tuam considentis interpellationem restaura placatus ad vitam! Quem enim alium dirigam intercessorem apud te, nescio, nisi hunc, qui est propitiatio pro peccatis nostris, qui sedet ad dexteram tuam, interpellans pro nobis, advocatus meus apud te Patrem, sumus Pontifex, non alieno, sed proprio perfusus cruore. Ecce hostia sancta, beneplacens et perfecta in odorem suavitatis oblata et accepta! Ecce agnus ille innocens sine macula, qui peccatum non fecit, sed peccata nostra pertulit et languores nostros suo livore sanavit! Hic est, quem propter peccata populi tui percussisti, licet ipse sit delectus tuus, in quo tibi bene complacuit.

Aspice, mitissime Pater, dilecti Filii tui humanitatem et miserere super infirmi plasmatis debilitatem; vide redemptoris supplicium et redempti dimitte delictum. Oro te, Rex Sanctorum, per hunc Sanctum Sanctorum, per hunc redemptorem meum: Parce peccatis meis! Praesta mihi vires, ut possim secundum legem tuam vivere et in bono perseverare. Fac mecum judicium mite et post hujus vitae miserias aeternam largire nobis vitam! Amen.

Digitized by Google

Pro fidelibus Defunctis.

Benignissime Jesu, qui ades tibi fidentibus et illos ab omni eximis periculo, cujus miserationes universa hominum scelera exsuperant, quae omnia, si quis in clementiam tuam conjiciat, velut igne validissimo consumentur: animas fratrum nostrorum corpore solutas maculis deterge, quae illis ex vitæ hujus actionibus adhæserunt, et quæcunque in vita dereliquerunt, ignosce: nemo enim sine peccato, nisi tu solus Dominus, qui potes migrantibus dare quietem N. Frigus ergo eorum, quod illos a te arcet et separat, sancto charitatis tuae igne dispelle, accende illos flammis tuis, ut emundati ac purgati celerrime ad te advolent, tecumque ad aeternam beatitudinem uniantur. Amen. Pater noster et Ave Maria.

Ad Pax Domini.

Per signum sanctae crucis libera nos, Domine Jesu Christe, ab omnibus inimicis nostris!

Ad Agnus Dei.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi tua acerbissima passione et morte, mise-

Digitized by Google

rere nobis apud Deum Patrem intercedendo. *Reiteratur.*

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, tuo sanguine et morte dona nobis pacem, quam tuo sanguine nobis impetrasti. Amen.

Ad Pacis Osculum.

Da nobis, Domine, ut in populo tuo pax conservetur, ut ope misericordiæ tuæ adjuti et a peccatis semper simus liberi et ab omni perturbatione securi. Amen.

Ad Communionem.

Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, da, ut incruentum hoc SS. corporis et sanguinis tui sacrificium D. N. J. C., quod in memoriam tuam hic et ubique hodie terrarum offertur, misericordiam nobis apud te impetret et salutem nobis obtineat sempiternam. Gratias tibi agimus, clementissime Deus, redemptor animarum nostrarum, quod nos hac die coelestia mysteria celebrare dignatus sis. Dirige vias nostras, serva nos in timore tuo, tuere vitam nostram, stabili gressus nostros precibus sanctissimæ Dei genitricis et semper Virginis Mariae et omnium Sanctorum. O Sacramentum pietatis, o

Digitized by Google

signum unitatis, o vinculum charitatis! qui vult vivere, habet ubi vivat, habet, unde vivat, accedat, credat, juvat, ut in Deo incorporetur, Deo ut vivificetur, haereat corpori; vivat Deo de Deo; nunc laboret in terra, ut postea regnet in coelo. Amen.

Ad ultimam Collectam.

Obsecro te, dulcissime Jesu, ut passio tua sit mihi virtus, qua muniar, protegar atque defendar; vulnera tua sint mihi cibus et potus, quibus pascar, inebrier et delecter, aspersio sanguinis tui sit mihi ablutio omnium scelerum, mors tua sit mihi vita indeficiens, crux tua gloria sempiterna, in his sit mihi refectio et exsultatio, sanitas et dulcedo, studium et gaudium, desiderium et solatium cordis mei!

Peto insuper, ut hujus peracti Sacrificii fructum mihi et universae ecclesiae concedas misericorditer, nec sinas, pie Domine, per malitiam meam me aut alios privari. Amen.

Ad Benedictionem.

Qui benedicis benedicentes te, Domine, et sanctificas confidentes in te, salvos nos

Digitized by Google

fac et benedic hæreditati tuæ, ecclesiam tuam custodi, sanctifica diligentes decorem domus tuæ, glorificantes te divina virtute tua et non derelinquas sperantes in te; misericordia, gratia et benedictio tua sit super nos in aeternum. **Amen.**

Post Missam.

Gratias ago tibi, Deus Pater omnipotens, coeli terraeque creator, pro universis beneficiis tuis, suppliciter deprecans, ut hoc Sacrificium tibi sit acceptabile et in me misero peccatore salutarem suae virtutis operetur effectum. Omnia peccata mea praesentia et praeterita deleat, a futuris custodiat devotionemque tibi placitam semper excitet et gratiarum actiones pro me debitas referat. Ab iñundis cogitationibus, variis daemonum tentationibus, mundi et carnis, nec non a subitanea et aeterna morte eripiat, gratia s. Spiritus cor meum illuminet, patientiam, fidem rectam, spem firmam, charitatem perfectam nec non in omnibus bonis perseverantiam indulgeat. Oro etiam, o dulcis Jesu, pro omnibus familiaribus meis, ut per hujus Sacramenti virtutem adjuves eos ad aeternam salutem. Precor pro peccatoribus universis, ut per hujus Sacra-

Digitized by Google

menti virtutem digneris spiritualiter eos visitare, et bonos in bono confirmare et malos a malo revocare pro tua misericordia in aeternum.

In exitu templi.

Valete vos ómnes fideles etc. ut in pagina 65.

Feria sexta.

Die Veneris.

Confessio S. Bernardi.

In unione acerbissimi doloris tui, qui causam doloris mei assumpsisti et emendationem pro peccatis meis suscepisti, Domine Jesu Christe, cum universitate dolentium et vere poenitentium confiteor tibi omnia peccata mea, mala cõmissa et bona omissa, nec non pure aut negligenter facta, sicut tu ea melius nosti in numero, pondere et mensura: et dies perditos vitæ meæ, in quibus te offendi et lau-

Digitized by Google

dem tuam minui et a te summo bono cecidi et proximum in casum traxi. Suscipe, Domine, de mea misera vita residuum annorum meorum; pro his tamen, quos male vivendo perdidi, in viam reducas, rogo cor contritum et humiliatum, Deus, ne despicias. Dies mei declinaverunt et perierunt sine fructu. Impossibile est, ut eos revocem; sed placeat, ut eos recogitem in amaritudine animae meae; Domine, abyssus profundissimæ miseriæ meæ abyssum invocat altissimae misericordiae tuæ. Ne contineas in ira miserationes tuas et fontem inexhaustum misericordiae tuae circa me exsiccari non permittas propter peccata mea, qui misereris omnium, et nil odisti eorum, quae fecisti, dissimulans peccata hominum propter poenitentiam. Tuum est, Domine, remittere peccata; miserere mei, dum tempus est gratiae et miserationis; et dum tempus est emendationis, da mereri gloriam benedictionis, ne in die consummationis me feriat verbum maledictionis. Fac me, quaeso, Domine, assueta mala relinquere et quae tibi placent peragere; et studium, quod hucusque in peccatis exercui, te adjuvante deinceps in tua voluntate da ut exerceam: ut ubi abundavit delictum, tua gratia redabundet. Rogo te propter temetipsum

Digitized by Google

et per amorem piissimae matris tuae gloriosae Virginis Mariae et per intercessionem omnium Sanctorum tuorum atque electorum: ignosce omnibus peccatis, negligentiis et ignorantiis meis et ne perdas me cum omnibus iniquitatibus meis, neque in finem iratus reserves mala mea. Recordare, Domine Jesu, quia tuum non est perdere quidquam eorum, quae pater tuus dedit tibi, quia tibi proprium est misereri semper et parcere, neminem perdere, sed salvare. Nam Pater tuus misit te in mundum, non, ut judices mundum, sed, ut vitam habeamus per te, ut sis propitiatio nostra et advocatus noster, non contra nos.

Quod enim nos debuimus, tu solvisti; quod nos peccavimus, tu luisti, quod nos negleximus, tu supplesti.

Proficiat ergo nunc, Domine, et in extremis meis plenaria, imo superflua satisfactio amarissima mors tua et pretium inaestimabile fusi sanguinis tui, commemoratio satisfactionis tuae, venerabile mysterium corporis et sanguinis tui, quod tibi hodie et quotidie offertur in Ecclesia pro salute servorum tuorum: in qua es tu ipse sacerdos et Sacrificium, ille qui offert pariter et cui offertur ad promerendam in praesenti gratiam, ad obtinendam in

Digitized by Google

futurum requiem et gloriam. Imperfectum meum vident oculi tui, sed tu pie et misericors supra malitia; ne reputes mihi, quæso, ad supplicium, qui omnia ad summum bonum sapientissime praeordinasti et ne permittas me deleri de libro vitae, sed offer mihi portionem, quae me contingit in subsidium tuae pretiosae passionis, pro qua voluisti hominem habere tibi cohaeredem in terra viventium. Te igitur, Domine, moveat ad misericordiam humanae fragilitatis consideratio, qui nosti, quae sit hominis substantia et quod non vane constitueris hominem super terram: conserva in me opus tuae pietatis, ne incassum circa ipsum laboraveris, neve infructuosa sit in me sanguinis tui effusio. Tu, qui purificas peccatores, praesta, ut emendatis peccatorum sordibus illustraque mentis acie cognoscam te, jugiter ad te tendam et ut felici tandem exitu ad te merear pervenire, Jesu Christe, Deus meus et Dominus meus, qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Alia Confessio.

Quid commisisti, piissime Jesu, ut sic judicareris, tam inhaniter tractareris? Quod scelus tuum, quae causa tam acerbae

Digitized by Google

mortis, quæ occasio damnationis? O me miserum! ego sum causa tui doloris, ego culpa occisionis, ego meis peccatis commerui, ut tu in cruce penderes.

Tu innocens es, ego reus, ego iniquus peccavi, tu justus puniris; quod merui ego pessimus, luis optimus, quod perpatravi servus, tu solvisti, Domine; ego facinus commisi, tu ultione plecteris, ego crimina commisi, tu torturae subjiceris; in me est iniquitas, tu supplicium sustines! Quo, nate Dei, quo tua descendit humilitas, quo tua processit miseratio, quantum flagrat amor tuus, quam ardens est tua flamma dilectionis erga nos peccatores? Mitissime Jesu, quid retribuam et quid pro his referre possum? quae ingratitudo mea pro amara tua passione, pro tot aerumnis, quas tu ad redemptionem et salutem meam summo amore perpessus es? Ego deliciis fruor ciborum, potu exquisito delector, tu in patibulo laborans felle ac aceto potaris! Ego mollibus vestior, tu nudus cruci affigeris, ego societates hominum passionibus meis blandientibus frequentor, tu inter latrones crucifigeris, ego luxui inservio, tu gemens crucem bajulas, ego rideo et exsulto, tu derelictionem qui nimo a Patre tuo exclamando testaris; ego caput meum lau-

Digitized by Google

tum et ornatum comò, tuum spinea corona vulneratur; ego carnem meam laute tracto, tu nudus ad columnam alligatus atrociter flagellaris!

Oro itaque te, Domine: Vulnera cor meum ignita vi amoris tui, imple me hac suavitate et consolatione passionis tuae, ut mundi illecebras funditus despiciam, adversi pro te nihil reformidem; sine te et praeter te nil mihi dulcescat et complaceat. Vilescant absque te mihi omnia, sordeat mihi, quod tibi adversum est, indesinens mihi sit desiderium ut taedeat me gaudere sine te et delectet contristari pro te.

Rogo igitur te, clementissime Deus, ne in peccata mea respicias, sed ad innocentiam et justitiam Filii tui converte oculos; obsecro te, ut exaudias me in hoc tempore accepto, in his diebus salutis, ut perfecte valeam cognoscere peccata, corde contrito ea deflere, rite confiteri et sic veniam consequi omnium delictorum, quatenus securum me ab omnibus accusationibus inimici ad tremendum judicium tuum pervenire facias. Per Christum Dominum nostrum.

Digitized by Google

Ad Kyrie Eleison.

Deum Patrem et Filium et adorandum Spiritum pro gratia et misericordia oramus, atque ita unam eandemque inseparabilem divinitatem in personarum Trinitate admonemus, ut eadem gratia, benignitate et misericordia sua, qua mundum totum in gratiam recepit sibique reconciliavit et quod quidem in ipso est, ab exilio et damnatione revocavit, eduxit, exemit; etiam nos miserrimos peccatores excipere, fovere, adjuvare, servare dignetur. Amen.

Ad Gloria in Excelsis.

Adoro te, panis vitæ, animæ medicina, plebis conciliator, redemptor saeculi, gaudium coeli, placabile Sacrificium, pacifica hostia, qui per fragrantiam vestimentorum tuorum Patrem in cœlis benignissime inclinasti pariter ac cõmovisti, ut respiceret infirmitatem nostram, exaudiret gemitus et nos in suam reciperet gratiam. Bone Jesu, confiteor maximam benignitatem et gratiam tuam, quam tu ingenti tua bonitate absque nostris meritis impendisti. Offero tibi Sacrificium laudis et gratiarum

Digitized by Google

actionem pro cunctis beneficiis, quae in nos, generationem nequam, vas iræ, filios reprobos, servos inutiles, mortisque reos peccatores contulisti. Tibi laus, honor et gloria! Amen.

Ad Collectam.

Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, qui nos Patrem in tuo nomine orare docuisti et quod pater daret nobis, quidquid in tuo nomine petierimus, promisisti: rogo te, ut sacerdotis hujus orationes suscipias; respice de excelso sanctuario tuo super congregationem nostram, ecclesiaeque tuae preces clementer exaudias et quæ illi pro me petunt, qui norunt, quod magis mihi conveniat, ut advocatum obtineam, Deo patre concedente. Da etiam nobis fidei, spei et charitatis augmentum; ut mereamur assequi, quod promittis, fac nos amare quod praecipis. Per Dominum nostrum J. C. etc.

Ad Epistolam.

O fons omnis salutis, Jesu Christe, pota me aqua gratiæ tuæ, ut possim tuam passionem meditari, in illa promereri hæreditatem sempiternam, et praesta mihi

Digitized by Google

omnes adversitates patienter ferre; depelle omnes malas inclinationes et appetitus superbiae, avaritiae et quidquid mihi officit. Mitte mihi Spiritum tuum, ut acerbissima passio penetret in interiora mea et emundet animam meam ab omni impuritate, ut patri tuo coelesti bene placeat. Amen.

Ad Graduale.

O adoranda Trinitas, o veneranda unitas! Per te sumus creati, vera aeternitas; per te sumus redempti, summa tu charitas: Populum cunctum tu protege, salva, libera, eripe et munda. Te adoramus omnipotens, tibi canimus, tibi sit laus et gloria per infinita saecula. Amen.

Ad Evangelium.

Aperi in nobis, Domine, cordis nostri aures, ut verbum tuum in terram bonam incidat, unde nec volucres coeli auferant, nec spinae curarum hujus saeculi suffocent, sed ut multum fructum afferat ad laudem nominis tui et proximorum nostrorum commodum.

Frontem consigno, ut Deus adaperiat mihi intellectum, ad recordationem cruci-

Digitized by Google

fixi Christi gratiarum; item et ejus beneficiorum, ut illorum nunquam obliviscar; os, ut labia mea patefaciat ad collaudandum nomen ejus; cor, ut Deus emundet et sanctificet ipsum per verbum ejus.

Pax Christi et ecclesiae, quam nobis Dominus per evangelium suum tradidit, corfirmet et conservet corda et corpora nostra in vitam aeternam. Amen.

Ad Credo.

Gratias agimus tibi, Domine Deus noster, de bonis, quæ accepimus, tibique cum Isaia Propheta suppliciter dicimus: omnia opera nostra operatus es in nobis. Bona enim nostra tua sunt opera, cujus visceribus non suffecit, ut nos erigeres, nisi et temetipsum pro nobis inclinares. Si enim coaeternus Patri Deus non fieret homo in tempore, homo nunquam temporalis saperet æterna. Descensio ergo veritatis tuae ascensio facta est humanitatis nostrae. Damus tibi gloriam, damus tibi laudem. Qui vivis cum Deo etc.

Deus praestet nobis suam gratiam per Jesum Christum et Spiritum sanctum, ut omnes in verae fidei professione in finem usque perseveremus, atque in ea ipsa

Digitized by Google

certamen bonum certemus, exercentes nos in omni pietate, quo post hanc vitam a fidelissima duce et agonotheta nostro coronam justitiae cum electis omnibus percipiamus. Amen.

Ad Offertorium.

Pater coelestis, fons bonitatis, suscipe quaeso propitius incruentum hoc Sacrificium, ut toto corde coelestibus dediti meditationibus facilius impetremus, quod communi oratione a Patre nostro coelesti supplicando ambimus. Aeterne Deus, pater omnis gratiae, immolo tibi animam, corpus et omnes vires meas, cum sacrosancto mysterio, quo Filius tuus D. N. J. C. in summa passione pro nobis miseris seipsum in ara crucis obtulit et nunc mystice offert ecclesia. Fac me igitur, deprecor, participem hujus Sacrificii. Nam Christi voluntati me conformans volo gloriam tuam, quae odivit odio peccata omnia, et me ipsum totum in tuum obsequium et honorem cupio expendere, sicut unigenitus tuus in passione se totum per obedientiam tradidit.

Suscipe, sancte Pater, omnipotens aeterne Deus, in Spiritu humilitatis et in animo contrito incruentum hoc Sacrifi-

Digitized by Google

cium, quod sacerdos in memoriam Passionis, resurrectionis et ascensionis Jesu Christi ac in honorem gloriosae Virginis Mariae et omnium Sanctorum et electorum offert, hoc ipsum Sacrificium, sicut Deo omnipotenti semper gratum est; ita rogamus, ut et nos, propter illud, Deo simus acceptabiles gratique; precamur, ut caro et sanguis, mors et vita tua nobis proficiat ad salutem et vitam aeternam. Per Christum Dominum nostrum.

Ad Orate Fratres.

Pater coelestis! suscipe hanc oblationem in odorem suavitatis et laudem aeternam, in satisfactionem pro omnibus peccatis, pro mea omniumque salute. Gratias tibi ago, D. J. C., qui passionem tuam pro me peccatore potenter inchoasti, tuam crucem humiliter bajulasti et huic infixus fuisti patienter. In hac cruce fuisti erectus miserabiliter, in sancta cruce pependisti graviter, vulneratus poenaliter, loquebaris inconsolabiliter, flevisti acriter, vociferasti viriliter, universae venae confractae sunt integraliter, tuumque sanguinem effudisti largiter atque pro me mortem subiisti acerbissimam indubitanter. Nunc commendo me in tuæ passionis virtutem

Digitized by Google

et tuae misericordiae profunditatem. Jesu Christe, Domine, propter honorem tui sancti nominis, propter immensitatem pietatis tuae, permitte me reminisci anxietatis tuæ et amarissimæ mortis, tua vulnera frequenter in me gerendo, ut sic gratiam apud te inveniam. Per Christum Dominum nostrum.

Ad Praefationem.

Sustolle, Deus, corda nostra a terrenis ad coelestia desideria et da nobis spiritualia corda, et longe repelle carnalia desideria, quae adversus spiritum militant. Tibi, Domine, propter magnam gloriam tuam, et pro universis beneficiis gratias agimus; praesertim pro mira charitate tua, qua nos sic amasti, ut unigenitum Filium tuum dares, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Haec est autem vita aeterna, ut cognoscamus te verum Deum et quem misisti Jesum Christum, per fidem rectam et condigna fidei opera. Precor ex intimo corde, ut pariter omnes Angeli et Electi te pro iisdem beneficiis tuis laudent et glorificent in aeternum.

Digitized by Google

Ad Canonem.

Deus, qui in sanctis quiescis et trisagia voce a Cherubim et Seraphim glorificaris, et ab omni coelesti virtute adoraris, qui de non esse ad esse duxisti omnia et creasti hominem ad imaginem et similitudinem tuam et multa gratia insignisti, qui das petenti sapientiam et intellectum, qui non despicis peccantem, sed ponis in salute poenitentiam; qui dignatus es me indignum servum tuum in hac hora stare in conspectu gloriæ sancti templi tui et debitum tibi obsequium offerre; tu, Domine, suscipe ex ore meo trisagium hymnum: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth; pleni sunt coeli et terra gloria tua, osanna in excelsis, et visita me in bonitate tua, remitte mihi omnem noxam invitam et voluntariam. Sanctifica cum corpore et animam meam, et da mihi in sanctitate servire tibi omnibus diebus vitae meae, intercedentibus B. M. virgine et omnibus sanctis, qui a saeculo tibi placuerunt. Quare, o Jesu, ultima spes nostra et solatium, digneris per te tuosque angelos in omnibus afflictionibus nos confortare, praecipue in postrema necessitate nostra, in tremendo

Digitized by Google

mortis certamine, ut habeamus per te veram poenitentiam tui doloris, tui sudoris sanguinei et orationis memoriam. Suppliciter deprecamur tuam misericordiam pro s. ecclesia catholica et gubernatoribus ejusdem, pro Pontifice Romano N., ut tua gratia illustrati recte nos doceant et tam doctrina, quam etiam honesta vita nobis sint exemplo, ne infirmi in fide peccatis superiorum offendantur, utque eos pacificare digneris ab hostibus et erroribus universis; nec non omnes haereses et discordias conciliare velis; rege nos et mitte nobis auxilium de Sancto et de Sion tuere nos, ut in unione pacis persistamus. Per Christum Dominum nostrum.

Ad Memoriam Vivorum.

Redemptor generis humani, qui tollis peccata mundi, obsecro te, ut per virtutem sacrosancti hujus mysterii misereri velis mihi indigno famulo tuo, benefactoribus et omnibus, qui se meis orationibus cõmendaverunt, pro quibus orare decrevi aut mihi juncti sunt consanguinitate, fide et amicitia N.; et specialiter miserere illorum, quibus ego fui, vel qui mihi fuerunt causa peccandi: concede eis partem et societatem in regno tuo facque eos participes oblationis cor-

Digitized by Google

poris et sanguinis tui, hodie et in omnibus diebus, ut per eam liberentur ab omnibus peccatis et peccatorum periculis; ditentur gaudiis spiritualibus, prosperitatibus praesentibus et futuris. Precamur et te, ut tu Deus et Dominus noster tempus vitae nostrae ita administres, quatenus ab hostibus defensi quiete vivamus, securius cultui divino insistamus, sicque ab aeterna morte et damnatione liberati electorum consortio adscribamur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Sub Elevatione Corporis Domini.

O Pater, respice in faciem Christi filii tui et miserere nobis: quod si nos peccatis pleni venia sumus indigni, ecce pretium sæculi, ecce Unigenitum tuum; per ejus passionem et mortem miserere nobis et horum sacrorum mysteriorum nos participes propitiatus efficias. Salve, salutaris victima, pro me et toto genere humano in crucis patibulo oblata, Christe Deus æterne, homo crucifixe propter hominem; respice sacratissimam carnem tuam pro me cruci clavis affixam et lancea dire perforatam, atque illa pietas, quæ te traxit et vicit, ut in statera crucis totius mundi peccata expiares, illa te cogat clementia, ut mise-

Digitized by Google

rearis mei, tu qui in fonte miserationis nunquam manere cessas, animam et corpus in vitam aeternam custodias. Amen.

Ad Elevationem Calicis.

Sanguis tuus, Domine Jesu Christe, pro nobis effusus sit mihi in remissionem omnium peccatorum, in robur, in augmentum et in conservationem fidei, spei et charitatis, gratiarum et virtutum, in cautelam vitae, in adoptionem gloriae aeternae, in absolutionem vivorum et mortuorum.

O digna et nunquam intermittenda memoria, et in qua mortem nostram recolimus mortuam, nostrumque interitum interiisse, ac lignum vivificum ligno crucis affixum fructum nobis attulisse salutis!

Post Elevationem.

Haec est commemoratio gloriosa, quae fidelium animos replet gaudio salutari et cum infusione laetitiae devotionis lacrymas subministrat. Exsultamus nimirum nostram memorando liberationem et recolendo passionem Dominicam, per quam liberati sumus. Dedit enim nobis se in pabulum, ut, quia per mortem homo corrue-

Digitized by Google

rat, et per cibum ipse relevaretur ad vitam: cecidit homo per cibum ligni mortiferum, relevatus est homo per cibum ligni vitalis: in illo pependit vitae elementum; illius esus meruit laesionem, istius gustus intulit sanitatem: gustus sauciavit et gustus sanavit. Vide, quia unde vulnus est ortum, prodiit et medela; et unde mors subiit, exinde vita evenit.

O excellentissimum sacramentum, o adorandum, venerandum, colendum, glorificandum, praecipuis magnificandum laudibus, dignis praeconiis exaltandum, cunctis honorandum studiis, devotis prosequendum obsequiis et sinceris mentibus retinendum! Adoramus te pretiosum redemptionis nostrae pretium, hostia pacifica, quae sola odoris tui suavitate Patrem ad respiciendum humilia inclinasti et filiis placabilem reddidisti, et quod Sacrificium tibi gratissimum nobis quoque fiat salutare, suppliciter petimus. Neque patiaris, pater benignissime, fratres nostros, qui nos praecesserunt cum signo fidei et dormiunt in Christo, non sentire hujus Sacrificii effectum, quos filii tui sanguine redimere dignatus es.

Digitized by Google

Pro fratribus vita functis.

Memento ergo omnium in Christo quiescentium N. et N., ut misericordias cum illis agere digneris; in gratiam victimae hujus expiatoriae, quam eorum peccata meruerunt, sit illis salus aeterna ac perpetua sanitas, gaudium et refrigerium sempiternum hoc magnum pietatis sacramentum, ut consolati exsultent in laude et gloria tua sancta. Per Christum Dominum nostrum. Amen. Pater noster et Ave Maria etc.

Ad Pax Domini.

Pax Domini nostri Jesu Christi, virtus sacratissimae passionis ejus, signum sanctae crucis, integritas beatissimae Virginis Mariae, custodia angelorum ac suffragia omnium electorum Dei sint inter me et omnes inimicos meos visibiles et invisibiles, nunc et in hora mortis meae. In nomine Patris † et Filii † et Spiritus sancti †. Amen.

Ad Agnus Dei.

Omnipotens Deus, creator meus! Ego creatura tua sum, manus tuae fecerunt

Digitized by Google

me, illæ inquam manus, quæ in cruce pro me clavis transfixae sunt. Opus manuum tuarum ne despicias, sed vulnera manuum tuarum aspicias. O Jesu, Fili David, miserere mei, miserere mei, fons misericordiae!

Audisti me infirmum ad te clamantem; exaudi me, Domine Deus, ad honorem tui nominis et animæ meæ salutem. Amen.

Ad Pacis Osculum.

Deus, qui bonum affectum et sanctum desiderium in mortalium mentibus excitas, a quo solo recta consilia et justa opera proficiscuntur; largire famulis tuis eam pacem, quam mundus dare non potest, ut cordibus nostris parati simus mandata tua exsequi, ut timor hostilis incursionis et formido auferatur et haec tempora post tantos et terribiles motus per tuam propulsationem tranquilla et pacata reddantur. Amen.

Ad Communionem.

Salve, verum corpus D. N. J. C., natum ex Maria Virgine; vere passum et in ara crucis pro homine oblatum, cujus latus

Digitized by Google

perforatum vero fluxit sanguine; sis mihi in cibum animae meae, miserere mei in extremis. O dulcis, o pie, o Jesu, Fili Mariae, verus Deus et homo, miserere mei, et da mihi gratiam, ut in omnibus operibus bonis valeam perseverare, sicque in secundo tuo adventu adnumerari justis et electis tuis.

Gratias ago tibi, summe Deus, quod, licet indignus sim mensae tuae, spiritualiter tamen sumendi corpus et sanguinem Filii tui D. N. J. C. a sacerdote sacramentaliter modo sumptum, et gratiam mihi praestiteris peccatori et devotionem. Cum creatura sim tua, o Pater, inclina in me aures tuas et concede, ut haec Eucharistiae perceptio mihi et omnibus fidelibus, vivis atque defunctis proficiat, ut laeti in Sanctorum et Electorum omnium communione, in extremi judicii die resurgentes, cum ovibus ad dexteram Filii tui praesentemur. Amen.

Domine Jesu Christe, qui die tertia ante tempus passionis et mortis tuae discipulis tuis Pascha et transitum ex hoc mundo praedixisti, da mihi per omne tempus vitae meae in azymis veritatis et sinceritatis vivere meque de hoc mundo transire non permittas, antequam per triduum poenitentiae, scilicet per cordis contritio-

Digitized by Google

nem, oris confessionem et operis satisfactionem, peccata mea omnia deleas, donans SS. corporis et sanguinis tui communionem, olei sacri unctionem ac in omnibus perfectam consummationem et me tandem feliciter consummatum transire facias ad te, dulcissimum Dominum meum super omnia benedictum. Amen.

Ad Collectam ultimam.

Benedictus sis, D. J. C., Fili Dei vivi, qui nostri misertus e coelo descendisti et assumptum de Virgine corpus et sanguinem tuum in ara crucis vera pro peccatis nostris hostia liberaliter obtulisti: laus tibi et gloria, quod ex eodem corpore et sanguine tuo, non modo panem vitae in Sacramento sumendum, sed etiam Sacrificium in altari per sacerdotes offerendum instituisti, atque ad finem usque celebrandum reliquisti; ut in ecclesia tua juge mundumque sacrificium per totum orbem celebrandum haberemus.

Jesu Nazarene, pro nobis crucifixe, propitius esto mihi et peccatoribus omnibus, ejusque Sacramenti et Sacrificii hujus virtutem ad corporis simul et animae salutem efficaciter provenire concedas. Amen.

Digitized by Google

Ad Ite Missa est.

Ite post Christum et sequimini ipsum, non est enim in hoc mundo standum, sed ad patriam per bona opera festinandum, quia missa est, ad Deum patrem placandum, hostia, per quam fracta sunt tartara et reseratus paradisi introitus. Amen.

Ad Benedictionem.

Benedicat nos Deus Pater,† custodiat nos Jesus Christus,† illuminet nos Spiritus sanctus † omnibus diebus vitæ nostræ; confirmet nos virtus Christi; intercedentibus sanctis suis indulgeat nobis Dominus universa delicta nostra et perducat nos ad aeterna gaudia. Amen.

Peracto Officio.

Domine Deus omnipotens, gratias tibi agimus, quod fecisti nos dignos ss. mysteriorum tuorum, quae praebuisti nobis in remissionem peccatorum: quoniam nomen Christi invocatum est super nos et tibi conciliati sumus; qui segregasti nos a communicatione impiorum, conjunge nos cum consecratis tibi; confirma nos in veri-

Digitized by Google

tate s. Spiritus, ignorata revela, quae desunt exple, cognita corrobora, sacerdotes tuere in servitute tua, reges conserva in pace, magistratum in justitia, coelum in salubritate, fructus in fertilitate, mundum in providentia omni ex parte sufficienti, nationes bellicas reprime, errantes converte, populum tuum sanctifica nosque omnes congrega in regno coelorum, in Christo Jesu Domino nostro, cum quo tibi gloria, honor, cultus et sancto Spiritui in saecula. Amen.

In exitu templi.

Valete vos omnes fideles ut in p. 65.

Feria septima.

Die Sabbati.

Confessio pœnitentis cum filio perdito.

En Domine Deus, ego infelix peccator ad paternae tuae miserationis solium provolutus peccatum meum cum filio per-

Digitized by Google

dito supplex deprecatum venio. Peccavi in te, Pater, filius tuus vocari deinceps dignus non sum, nunquam in mandatis tuis delectatus sum; uti te velle, me aequum erat facere. Amorem, qui per omnia erga te rectus esse deberet, ad mundi gaudia converti; proximum meum, quem, te jubente, uti memet ipsum diligere debueram, invidia, odio, infense persecutus sum: si quis dexter illi rerum eventus, non congratulabar, si quid sinistri ei accidit, gavisus sum. Quas, o Deus, cupiditates, quos pectoris mei sentio affectus, quos ad superbiam, ad ambitionem, ad carnis illecebras stimulos? Cum hominibus, ut placerem, nil arduum nilque arbitrabar difficile, interea tamen oblitus tui, o Deus, tuique oblitus verbi. E diverso quam nulla mihi in afflictionibus meis, ob meam salutem abs te, Deo meo, clementer irrogatis, patientia? nulla gratitudo erga te pro passione tua, proque magnis et innumeris beneficiis tuis? Et quis, o Deus, omnia peccata mea enumerare poterit? Sed, o Domine Deus clementissime, numquid non in infinitum tua misericordia totius orbis terrarum peccata excedit? in hoc enim dedisti Jesum Filium tuum unicum, ut nos tibi reconciliaret et pro peccatis nostris satisfaceret. Accedo ergo

Digitized by Google

ad te, cum filio illo perdito, in quo misericordiam tuam magnificasti, cujus conversionem patienter exspectasti, quem etiam cum gaudio suscipiens osculatus es, Filius, inquiens, hic meus mortuus erat et revixit, perditus erat et inventus est. Hanc mihi praesta gratiam, o Pater, per Christum tuum, ut ipse hanc laetam vocem audiam; ne perdar, ne interream, ne in peccatis meis moriar, adjuva me; converte me, ad novam vitæ rationem incundam innova me, et omnino eam, quae et tibi placeat et proximo prodesse queat. Sed et cum Apostolis oro, adauge in nobis fidem, sis præsto in extremis nostris, adjuva nos gratia tua, ut per fidem diabolo constanter resistamus, divinum verbum tuum concipiamus, in hoc consolemur, ex hac laetitia inebriemur et hinc emigrandi et in sempiternum tecum manendi animemur. Hoc, aeterne Deus, in te speranti praesta, ut omnes fide te apprehendentes per passionem et mortem tuam cœlestis regni tui efficiamur cohæredes. In has aliasque consimiles promissiones spem meam deposui. Nunc mihi vivere atque mori idem est, in gaudio divinae voluntatis tuae visitationem praestolabor. Amen.

Digitized by Google

Alia Confessio.

O Pater omnipotens, ego miser peccator humillime et cum plena erga immensam bonitatem tuam fiducia pedibus tuis provolutus confiteor tibi magna et gravia peccata mea, quibus in hanc usque horam te benignissimum patrem offendi, quod non timui exsecranda illa perpetrare scelera, quae dilectus Filius tuus tam cruciabiliter diluit, et tanta cum amaritudine expiavit. Confiteor tibi etiam magnam ingratitudinem meam, quod ad hanc usque horam tam ingratus fui et tibi et Filio tuo pro omni amore et bonitate, quam mihi exhibuisti; quod tot jam annis in mea mihi malitia et peccatis tam longanimiter pepercisti, omnemque injuriam tibi a me per meam inobedientiam irrogatam benigne tolerasti, nec non tanta cum benignitate me exspectasti ad poenitentiam, quo posses quandoque obtinere cor meum, ad exstruendum in eo habitaculum tuum, et infundendum illi amorem tuum. Quoties pulsasti, Domine Deus meus, ad ostium cordis mei, per inspirationem tuam, beneficiis blanditus es, consolatione allexisti, afflictionibus compulisti? et tamen repulsam passus es, semper dorsum tibi

Digitized by Google

verti, quod ipsum tamen benigne sustinuisti! O quam juste in inferni me abyssum detrudere poteras, et mihi pepercisti! Mirum certe est, o Pater optime, non frangi prae contritionis vehementia cor meum, dum ista recogito! Indignus sum vocari creatura, indignus, quem terra sustineat cuique alimenta subministret. Sed nunc, fidelissime Pater, parce mihi et miserere mei. Pande mihi paternum pectus tuum et conforta me gratia tua. Væ mihi infelici, qui tam amabilem tamque pium patrem reliqui; patrem, qui nisi amorem, gratiam et fidelitatem praestitit; væ mihi, quod cor meum, in quo habitationem tuam habere decreveras, tibi denegavi et multis foedavi sordibus, factus vas iniquitatis et spelunca spirituum immundorum. Segrega me a consortio malorum et conventui electorum tuorum me coadunes. Mitte in auxilium mihi Deiparam Virginem Mariam, sanctos et electos tuos, qui me intercessione sua ab insidiis hostium custodiant et ad perfectam virtutem nos erigant. Adjuva, o Deus, ut sanctorum tuorum perseverantiam imitari possim et eorum vitam inspicere, ac per eorum suffragia dignare me salvum facere. Defende, ne tam facile mea fragilitas inimicis consentiat, sed solis praeceptis tuis obediat.

Digitized by Google

Fac, ut malum non praevaleat, sed disciplina virtutum in nobis vigeat; in vita et in morte ostende nobis tuam gratiam et clementer assume nos ad patriam. Exaudi me, Deus, per D. N. J. C. Amen.

Ad Kyrie Eleison.

Kyrie, virginitatis amor inclyte, Pater et creator Mariae: Eleison.

Christe, unice Dei Patris genite, quem de virgine nasciturum mundo mirifice sancti praedicarunt Prophetae: Eleison.

Kyrie, qui incarnatus, de Mariae ventre natus, sub nostra specie corpus elegisti Mariae: Eleison.

Ad Gloria.

Laudo, exalto, benedico te et gratias tibi ago ex omni anima, toto corde, totis viribus et omni facultate mea.

Magna siquidem super nos est misericordia tua. Nam licet verus esses Deus, Dei Filius, lucem habitans inaccessibilem, omnia virtute tua sustentans, cuncta moderans et regens sapientia tua; in cujus conspectu tremunt angeli, in cujus nomine omne genu flectitur; minime tamen dedignatus es sublimem potentiam tuam ad hujus saeculi carcerem inclinare, particeps

Digitized by Google

fieri infirmitatis nostrae mortalique indui corpore, quo nostram infirmitatem divina absorberes potentia, nostram ditares inopiam, nostram mortalitatem ad æternam faceres resurgere vitam, vitia nostra aboleres, naturam nostram pristinæ suae restitueres innocentiæ, ad spiritus libertatem solveres captivitatem nostram, et miserabilem denique ruinam nostram ad perennem reparares gloriam. Amen.

Ad Collecta.

Ecclesiae tuæ preces placatus admitte, ut destructis adversitatibus et erroribus universis, secura tibi serviat libertate. Te redemptorem nostrum et auxilium humili corde deprecamur, pro omnibus egentibus, aegrotis, captivis et afflictis et pro cunctis tam publicis quam privatis necessitatibus, pro salute nostra tam spirituali, quam corporali, ut, intercedente gloriosa semper Virgine Dei genitrice Maria, omnibus nobis auxilio, consolatione et defensione tua adesse digneris, nunc et in hora praesertim mortis, ad consequendam christianam vitam, felicem exitum et aeternam beatitudinem. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Digitized by Google

Ad Epistolam.

Domine, Deus coelestis, qui nobis omnem scripturam Prophetarum et Apostolorum, ad doctrinam, mulctam seu pœnam, emendationem justitiae reliquisti; obsecramus te, concede nobis Spiritum sanctum, ut recte illas intelligamus, accurate observemus, et inde vitam nostram dirigamus.

Ad Graduale.

Qui te fide apprehenderunt, Domine, non in transitoriis bonis, sed in te spem collocant suam et nomine tuo nominati sunt, quia nunquam deseras quaerentes te et imitantes exemplum, quod dedisti nobis. Veni igitur Christe Jesu, fer opem, ne invalescat vel praevaleat in nobis hominis potentia.

Ad Alleluja.

Dei genitrix, tutela et refugium peccatorum, protege et libera nos per generosum fructum unigeniti Filii tui Jesu Christi ab omni conturbatione, dolore et oppres-

Digitized by Google

sione spiritus. Impetra et nobis remissionem peccatorum et contra delicta superbiae veram humilitatem, in qua nos tibi et dilecto Filio tuo servire valeamus ad finem usque vitae nostrae. Amen.

Ad Evangelium.

Domine Jesu Christe, qui ut olim doctrinam evangelicam vivo ore praedicasti mortalibus, sic jam per Evangelistarum scripta nobis eandem proponis; aperi, quaeso, mentes nostras, ut verbum tuum tum probe intelligamus, tum serio amplectamur eique et fide viva et sincera charitate ad finem usque constanter adhaereamus.

Finito Evangelio. Gratias ago tibi, Domine Jesu, pro universis sanctis sermonibus tuis, operibus et miraculis, quae in hoc mundo fecisti. Fac, ut firmiter credam, firma fide teneam et quæ tibi placita sunt, totis viribus adimpleam. Amen.

Ad Incarnatus est.

Gabriele dicente tibi: „Virgo, ave!“ cum voce incarnatus est omnium Deus in te sacrosancta arca, ut dixit justus David,

Digitized by Google

ostensa es latior coelis, quae tuum Creatorem portasti; gloria ei, qui habitavit in te, gloria ei, qui exivit de te, gloria ei, qui per tuum partum nos liberavit.

Finito Symbolo. Gratias agimus tibi, Domine Jesu Christe, quia nos per te et sanctos Apostolos tuos fidem veram et sanctam docuisti. Ideo precamur te, Domine, ut sanctam fidem sic digneris in cordibus nostris confirmare, ut eam nec per verecundiam vel poenam, neque per timorem, odium vel favorem possimus negare, sed semper constanter in ea perseverare. Da nobis etiam propitius omnem hominem, qui te et istam fidem non diligat, fugere, et ipsius consortium abhorrere; te autem et hanc veram fidem semper confiteri, prædicare, corde et more, virtute et opere demonstrare. Amen.

Ad Offertorium.

Lux pura mentium et veritas aeterna, Domine Jesu! Collige vagum nimis cor meum, ut in majestatis tuae conspectu, dum sacrum hoc Missae Sacrificium peragitur, ego attente ac reverenter adsim, verumque inde fructum et mihi et aliis mihi dilectis percipiam; nimirum, ut charitatem

Digitized by Google

tuam immensam, qua te totum pro nobis in mortem obtulisti, grato animo commemorem. Per Christum Dominum nostrum.

En rursum tibi, sancte Pater, eundem dilectum Filium tuum offero in unione amoris illius, quo tu eum mihi dedisti, naturam meam eum assumere volens et crucis denique subire patibulum. Nil excogitare possum sublimius, dignius et quod sit acceptius tuae majestati. Offero eundem dulcissimum natum tibi, in unione amoris illius, quo ipse se tibi obtulit in summum laudis sacrificium, quando in ara crucis alto clamore animam suam commendabat in manus tuas, et summus ipse sacerdos, in sancta sanctorum ingressus, antiquum tabernaculi velum detegens ac nova consecrans sacramenta, proprio sanguine diluit delicta populi. Amen.

Ad Orate Fratres.

Orent pro te omnes sancti et electi Dei; Spiritus sanctus superveniat in te et virtus altissimi obumbret tibi; mittat tibi auxilium de Sancto et de Sion tueatur te; memor sit Dominus omnis Sacrificii tui, ut in suae majestatis conspectu

Digitized by Google

holocaustum tuum pingue fiat, sitque acceptum Deo. Amen.

Ad hæc offero tibi, Deus, omnes gravissimos labores, jejunia, orationes, vigilias, praedicationes et quidquid in nostræ salutis opere peregit Jesus Christus filius tuus. Offero tibi innocentem passionem ejus ac mortem, et merita beatae Mariae semper Virginis omniumque Sanctorum ad aeternam gloriam tuam, pro peccatis et negligentiis meis, pro vivis et defunctis, pro quibus tu me vis rogari et ego rogare sum obligatus, quo nomen sanctum tuum laudetur, praedicetur et honoretur ab eis in omnia saecula saeculorum. Amen.

Ad Præfationem.

Sit cor sursum intellectu veritatis, ut omnis cogitatio carnalis et saecularis abscedat: affectu charitatis, ut cor, quae sursum sunt, sapiat, non, quae super terram. Sapiat nimiam patris dilectionem, qua Unigenitum suum non solum in pretium redemptionis, sed etiam in cibum spiritualis nutritionis tradidit, quo nos Unigenitus sibi incorporet, ac incorporatos ad alta paternae domus, ubi omnes æternae vitæ abundant panibus, elevando perducat. Ut autem, clementissime pater, ad

Digitized by Google

cœlestem illam Jerusalem, patriam nostram, possimus pervenire, voluisti nos benedicere omni benedictione spirituali in coelestibus. Perge nos, quaesumus benigne Pater, his tuis donis ornare et in fide imprimis catholica conservare, ut ad coelestem patriam possimus beati pervenire. Da, ut iis omnibus semper uti studeam, ad nominis tui gloriam, ad meam proximique salutem.

Beneficiorum tuorum memores studeamus vitam instituere de puro corde, quod tibi adhaerens te solo sese oblectet; de conscientia bona, quae non sit sibi alicujus criminis conscia; de charitate non ficta, quae fidei catholicae, spei christianae, charitatis divinae cultu tibi serviat in sanctitate vera et justitia non simulata. Pro his omnibus beneficiis tuis agimus tibi gratias, teque laudamus, quem laudant omnes Angeli et Archangeli, principatus et potestates, virtutes et dominationes, throni et Cherubim, atque omnium sanctorum exercitus gloriosus, qui te sanctum sanctorum omnium benedicunt; suppliciter deprecantes, ut angelorum vocibus et nostras voces jungas in coelestibus regnis. Amen.

Digitized by Google

Sub Canone.

Te, clementissime Pater, per Jesum Christum Filium tuum supplices rogamus, imprimis, ut tu Deus omnipotens Ecclesiam tuam mira tua benignitate et gratia digneris pacificare ab infestatione haereticorum, tyrannorum et quoramlibet hostium, ut et a daemoniorum praestigiis, atque omnigenis nequitiis liberatos non modo Ecclesiam Romanam, sed et omnes fidelium coetus toto orbe terrarum adunare et regere digneris. Maxime autem precamur pro summo Pontifice N. cum toto collegio Episcoporum et Clericorum, ut catholico sensu verbum Dei doceant et in perfecta orthodoxa religione gubernent.

Conserva populum in obedientia fidei catholicae, ut omnem potestatem revereantur et venerentur, ipsique quod suum est in humilitate tribuant. Offero quoque tibi, o Pater misericordiarum, omnes necessitates parentum, fratrum, sororum, consanguineorum, amicorum omniumque carorum meorum N. et eorum, qui mihi vel aliis propter amorem tuum benefecerunt, et qui orationes pro se suisque omnibus dici a me desiderarunt et petierunt.

Digitized by Google

Pro his omnibus, Pater clementissime, istud pius suscipere digneris Sacrificium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis et incolumitatis suae, tibique reddimus vota nostra æterno Deo vero et vivo cõmunicantes unoque in corpore Christi tui cum omnibus sanctis perseverantes, atque memoriam venerantes beatissimae Dei genitricis Virginis Mariae, et beatorum Apostolorum tuorum Petri et Pauli, omniumque Sanctorum tuorum, quorum meritis precibusque concedas, ut semper protectionis tuae auxilio muniti ab omnibus eruamur adversis, diesque nostros in tua pace disponas, et in electorum tuorum numerum nos facias congregari. Per Christum Dominum nostrum. Amen. Pater noster et Ave Maria etc.

Ad Elevationem hostiae.

Omnipotens, æterne Deus, o Pater misericordiarum, en hostiam vivam, quam hic et ubique universa tibi offert Ecclesia; hanc offero tibi cum omnibus virtutibus et meritis Unigeniti tui in illo amore et virtute, qua ipse tibi in cruce semetipsum obtulit pro nobis in expiationem omnium peccatorum meorum, in suppletio-

Digitized by Google

nem omnium negligentiarum et defectuum meorum, et in gratiarum actionem et confessionem omnium tuorum beneficiorum. Amen.

Ad Elevationem Calicis.

Ave, salus mundi, aeterni Patris verbum, hostia vera, viva caro, Deitas integra et vita aeterna: Dominus et Deus meus es tu, quem in hoc altari cum corpore et sanguine praesentem supplex adoro ac fideliter invoco, ut me et omnem Ecclesiam tuam hujus tuae redemptionis participem reddas, in prosperis et adversis, in vita et morte te Redemptorem propitium habeamus, tuaeque mortis, resurrectionis et ascensionis fructum in nobis renoves ad vitam aeternam. Qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Gratias tibi, Domine sancte Pater, omnipotens aeterne Deus, referat omnis lingua pro superabundantia pietatis tuae, qui unico Filio cordis tui non pepercisti, sed pro nobis illum tradidisti in mortem, ut tanquam fidelem advocatum haberemus in coelis coram te, cujus memoriam in hoc angustissimo missae sacrificio nobis ob oculos ecclesia catholica repraesentat et revocat. Amen.

Digitized by Google

Respice ergo, Domine sancte Pater, de sanctuario tuo et de excelso coelorum habitaculo, et intuere hanc sacrosanctam hostiam, quam tibi offert magnus Pontifex noster, sanctus puer tuus Dominus Jesus Christus, pro peccatis fratrum suorum, et esto placabilis super multitudine malitiae nostrae.

Respice, Domine, in faciem Christi tui, qui tibi usque ad mortem factus est obediens, nec recedant ab oculis tuis in perpetuum cicatrices ejus, ut memineris, quantam pro peccatis nostris satisfactionem susceperis ab eo.

O Domine sancte Pater, non apparebo in conspectu tuo vacuus, quia quidquid filius tuus, cum in mundo esset, pro me fecit, et quidquid operatus est, mihi operatus est, qui nulla mala commisit, nulla bona facere praetermisit. Etiam quidem fateor, non feci dignam poenitentiam nec plenam egi satisfactionem; sed quod mihi defuit, Jesus pro me adimplevit: debui quidem amplius contristari poenitendo: sed anima ejus tristis pro me facta est usque ad mortem: debui pius supplicare orando, sed hic pro me factus in agonia prolixius orabat, et sudore sanguineo defluebat: oportebat me melius facere emendando, sed Jesus satisfecit pro me mo-

Digitized by Google

riendo; et sic ego meritis meis salvari dignus non sum, tamen, quia membrum Jesu credendo factus sum, ab eo amplius separari non possum, ac fide et pietate subnixus, dignus quidem, non per me, sed per dominicam gratiam confido, salvari me posse. Amen.

Memoria Defunctorum.

Domine Deus, pater sancte, cujus misericordia aeterna est, memento quaeso omnium credentium, qui in spe resurrectionis ad vitam aeternam dormiunt, nimirum avorum, parentum nostrorum, fratrum, insuper sororum, consanguineorum et omnium, quotquot in pietate defuncti sunt N. Indulge illis per gratiam, quam de te per Christum speraverunt, omne delictum, sive sit voluntarium, sive non voluntarium, tam opere, quam sermone ac mente tenus ab illis commissum. Largire illis tabernaculum in locis lucidis, in locis viridibus, ubi te sanctam Trinitatem cum omnibus electis videant et in perpetuum laudent, eaque omnia feliciter percipiant, quae hic firmiter crediderunt, et per Christum Filium tuum Dominum ac Redemptorem nostrum speraverunt. Amen. Pater noster et Ave Maria etc.

Digitized by Google

Aspice, Pater piissime, Filium tuum pro me tam impia et crudelia passum. Respice, clementissime rex, quis patitur, et reminiscere benignus, pro quo patitur: intuere dulcem natum, toto corpore extensum, cerne manus innoxias pio stillantes sanguine, et remitte placatus scelera, quæ patrarunt manus meæ. Considera inerme latus et nudum, crudeli lancea transfixum, et renova me sacrosancto fonte, quem inde credo fluxisse.

Vide pedes sanctos, quorum vestigia nunquam sisterunt in via peccatorum, sed semper ambulaverunt in lege tua, diris clavis convulsos ac ligno affixos, gressus etiam meos in semitis tuis dirige. Fac, ut odio prosequar omnes iniquitatis vias, et tramitem veritatis eligam.

Recole, quod bonus perpessus est filius et obliviscere, quod malus operatus est servus. Per eundem Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum: qui tecum et cum sancto Spiritu in Trinitate perfecta vivit et regnat Deus per omnia sæcula saeculorum. Amen.

Ad „Pax Domini sit semper vobiscum"

munias te signo sanctae Crucis.

Pax Domini nostri Jesu Christi, virtus passionis ejusdem, † signum crucis ejus, in-

Digitized by Google

contaminata virginitas benedictae Virginis Mariae, benedictio omnium electorum, custodia omnium Angelorum, et triumphalis Domini nostri Jesu Christi Nazareni, Judaeorum regis titulus, defendat me ab omnibus inimicis meis visibilibus et invisibilibus, et ab omni corporis et animae periculo tueatur me. Amen.

Ad Agnus Dei.

Pie Jesu, virtus mea, refugium meum, susceptor et liberator meus, in quem speravi, in quem credidi, quem dilexi, suscipe me secundum multitudinem miserationum tuarum, ut possideam te, beatitudo sempiterna. Ego ovis, quae erravi: require eam, optime pastor, et pone eam in ovili tuo; converte planctum meum in gaudium mihi, inclina aurem tuam, mitissime Deus, et exaudi hodie vocem deprecationis meae. Amen.

Ad Osculum pacis.

Pacem tuam petimus, Domine, quae maneat in mentibus nostris semper, ut non timeamus a timore nocturno, sed invigilemus cunctis operibus mandatorum tuorum. Amen.

Digitized by Google

Sub Communione.

Domine Jesu Christe, da mihi, quod me gratum reddat in oculis tuis, et cum cœlesti illa communione veniant mihi omnia bona; da mihi sic suscipere corpus et sanguinem unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, ut corpori suo mystico incorporari, interque ejus membra numerari merear. Concede mihi, pater pie, dilectum filium tuum: quem nunc velatum accedentibus, spiritualiter suscipere propono, revelata tandem facie contemplari in cœlestibus. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Refice, Domine Jesu, animam meam, perfecta refectione cibi et potus sacratissimi corporis et sanguinis tui, ut per eam ad perfectissimam regni tui refectionem pervenire valeam, ubi te non solum sub sacris mysteriorum symbolis, sed clare facie ad faciem videre et perfrui merear in aeternum. Amen.

O castissima Virgo Maria, tu dignissima, sanctissima Mater Dei, quae Jesum Christum, Filium coelestis patris, generasti, ipsi etiam fideliter adstitisti, cum in cruce penderet, et nunc cum ipso in sem-

Digitized by Google

piterna gloria moraris, et mater misericordiae omnibus peccatoribus destinata es, adquire, et impetra mihi a dilecto Filio tuo, ut cibus ille supercoelestis, quem jam spiritualiter accepi, mihi et omnibus vivis et defunctis sit et proficiat ad meritum et praemium perpetuae beatitudinis. Amen.

Ad Complendam.

O sempiterne Deus, Pater, Filius, et Spiritus sanctus; acceptum tibi sit hoc sacrificium et obsequium servitutis, et concede, ut sacrosancta victima nobis sit frugifera ad salutem animæ et corporis. Sis nobis propitius, coelestis Rex; et praesta nobis in extremo curriculo vitæ imensam, tuam misericordiam cum nos ex hac valle lacrymarum discedamus, præmuniti spiritali gratia sacrosanctæ Eucharistiæ et sacri olei cum cordiali pœnitentia ac absolutione sacerdotali in remissionem peccatorum. Largire mihi gratiam, o sancte Deus Pater, et impartire mihi, o Fili Dei Jesu Christe, meritum passionis tuæ; o Deus Spiritus sancte, rogo te, noli a me abscedere, o unicus sanctus, fortis, aeterne Deus, per oblationem sacrificii jam peracti, Dominum Jesum Christum. Amen.

Digitized by Google

Ite missa est.

Redite ad propria, quia missa seu oblata est Deo hostia salutaris pro genere humano. Amen.

Ad Benedictionem sacerdotis.

O præcellens corona omnium sanctorum, Domine Jesu Christe, da mihi quotidie tuam paternam benedictionem, ut in me custodiatur et tueatur fides tua sancta, vera spes atque perfecta dilectio, ut in fine vitæ meæ et in judicio tuo benedictionem tuam vere gaudens percipiam et fructum dignissimi meriti tui cum omnibus sanctis tuis in æternum frui liceat. Qui cum Deo Patre et Spiritu sancto unus Deus in ævum vivis ac regnas in sæcula. Amen.

Post Missam.

Deus, qui propter multam et ineffabilem benignitatem condescendisti infirmitati servorum tuorum et dignatus es nos mensæ cœlestis participes fieri, ne condemnes nos peccatores, ob perceptionem mysteriorum tuorum immaculatorum, sed

Digitized by Google

conserva nos benigne in sanctificatione Spiritus sancti tui, ut sancti effecti, assequamur partem et hæreditatem cum omnibus sanctis, qui tibi ab aeterno accepti fuerunt, in lumine vultus tui per misericordiam unigeniti Filii tui Domini ac Dei Salvatoris nostri Jesu Christi, cum quo benedictus es cum sancto et benigno atque vivifico Spiritu tuo; quoniam benedictum et glorificatum est omnibus modis honorandum et magnificum nomen tuum, Patris et Filii et Spiritus sancti, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

In exitu templi.

Valete vos omnes fideles animae, quæ jacetis in gremio terrae longe lateque: benedicat vos sol justitiae, et claritate sui luminis vos perfrui faciat sine fine. Amen.

Poterit haec sequens oratio valde utiliter legi singulis diebus finita missa pro perceptione spirituali.

Generalis supplicatio ad Christum Jesum

pro consequendis s. Eucharistiae fructibus, quando spiritualiter sumitur.

Domine Jesu Christe, qui nos pane hoc vitae cibare dignaris, da mihi ut cogno-

Digitized by Google

scam et in anima mea experiar admirandam hujus tui sacramenti virtutem, quo tuos quotidie instauras, foves, perficis et tuo spiritu consummas, unumque tecum efficis spiritum membra tua, quæ ex animo tuum auxilium contra suas infirmitates, carnis tentationes, diaboli insidias et mundi blanditias implorant. Da igitur, ut te cordi meo sentiam praesentem, ac virtutum tuarum in me experiar efficiam, ut superbiae typum in me magis ac magis deprimas, ut mihi indies magis ac magis displiceam, et in horas mihi magis ac magis vilescam, minus mihi arrogem, humilius magisque ex animo tibi totus subjiciar, ac mandatis tuis semel morigerum praebeam. Deinde ignorantias nobis innatas lumine coelestis gratiae tuae divinaeque providentiae illustres, febriles iracundiae calores tua mansuetudine sedes, mititate places, placiditate tua tranquilles; denique libidinis aestum, tui amore atque coelestium bonorum desiderio refrigeres, quorum nos haeredes instituere voluisti; ne quid omnino deesset, quod ad summam tuam in nos charitatem nobis commendandam facere posset. Tui ergo amore nos semel accende, ut toti tuo flagremus amore, quo inflammati magis in te maneamus, ma-

Digitized by Google

gis tibi uniamur, magis tibi incorporemur, magis tibi inviscerémur, unusque tecum efficiamur spiritus. Fac nos igitur, o Domine Jesu Christe, firmiter in te credere, rectam in te spem habere, ardenter te diligere; exaudi nos, intra vulnera tua absconde nos, et jube nos venire ad te, ut cum sanctis tuis laudemus te in saecula sacculorum. Amen.

Digitized by Google

Meditatio de passione Dominica

pie et devote ante sacrum vel post Eucharistiæ sumptionem meditanda et digne recolenda.

Pater cœlestis et clementissime Domine, quum non potest non esse longe omnium maxima illa pax et imortalis illa spes vocationis nostrae coelestis, pro qua per Adamum perdita nobis recuperanda Dominus noster Jesus Christus, unigenitus tuus Filius, in hanc miserrimam lacrymarum vallem progressus, tot incommoda pauperculae suae vitae praesentis nostri causa dignatus est ferre, ut nostram mollitiem sanaret, tot acerba et dura perpeti, ut nostras delicias castigaret: tot fames ac sites asperaque jejunia sustinere, ut nostras voluptates insaniamque et immoderantiam restringeret, ac ingluviem cohiberet; tot labores et sudores tolerare, ut nos pigros ad collaborandum invitaret, tot aspera et crudelia tormenta perpeti, ut nos ad compatiendum excitaret, tot duras, longas et asperas peregrinationes praedicandi evangelii causa exantlare, ut nos

Digitized by Google

torpidos atque ignavos et ad coelestem patriam tardos exstimularet, denique tot longas plurimarum noctium vigilias orationibus deditas peragere, ut nos languidos ac tepidos vereque frigidos suo exemplo ad assiduum studium invitaret, coelestis patriae amore accenderet atque immortalium illorum bonorum desiderio inflammaret. Ad haec post gravissimos illius aerumnosi triennii labores, postquam charissimis suis discipulis seipsum in sui memoriam manducandum tradidisset, in hortulum progressus sudorem illum sanguineum tanta copia desudavit, ut per vestimenta ipsius lanea in terram usque per guttas crassasque grumas copiosissime defluueret. Domine Jesu Christe, quantus animi tui cruciatus, quantus cordis tui moeror, quantus horror et angor, cum in agonia illa omnium acerrima ac vehementissima constitutus, animi moerore prostratus, corporis horrore perculsus, pavore percitus, purpureo sudore perfusus, denique ingenti illo animi evanidi dolore maceratus, enecatus, ac tantum exanimatus, voce gemebunda exclamabas: »Tristis est anima mea usque ad mortem.«

Rursus ad patrem conversus: »Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.«

Digitized by Google

Da nobis, Domine Jesu Christe, quotquot sanctissimo tuo censemur nomine, ut et nos tuo exemplo discamus in omnibus nostris angustiis, difficultatibus, tribulationibus, saevis hominum persecutionibus durisque diaboli tentationibus ad Patrem nostrum toto pectore confugere, toti ab illo pendere, propriam voluntatem nostram abnegare, omnia ab eo solo auxilia quærere, omnia denique solida ab eo animi nostri solatia exspectare atque percipere; quo semper et ubique non nostra, sed ipsius voluntas fiat sacratissima, et ut nobis semper salutaris, ita omnium saluberrima et reipsa utilissima.

Post hæc, Domine Jesu, mei causa impiorum manibus traditus, derisus, colaphizatus, convulsus, consputatus, vexatus, variisque injuriis afflictus, et immanissime exceptus ab Anna ad Caipham, a Caipha ad Pilatum crudelissime pertrahi dignatus es, cum corpus tuum non averteres a percutientibus, non dorsum a flagrantibus, non caput a verberantibus et colaphizantibus, non faciem ab increpantibus sive convitiantibus declinares, ut nos ad omnem injuriam, contumeliam, ignominiam, vituperium diraque convitia non modo fortiter et patienter, sed placide quoque, simul et hilariter ferenda tuo mansuetissimae

Digitized by Google

patientiae exemplo invitares: quo non modo citra omnem ultionis vindictam, sed omnes etiam indignationis, aegritudinis, aut tristitiae sensus, talia quando patris nostri benignissima voluntate nobis contigerint, disceremus christiane sustinere.

Coronam etiam illam spineam capiti tuo tenerrimo duris verberibus contuso, flagris asperrimis conscisso, acerrimis etiam spinarum aculeis confosso, duriterque fodicato circumferre dignatus es, ut nostram animorum superbiam deprimeres, arrogantiam omnem contunderes, omnem denique contumaciam, stolidam nostri complacentiam, fastumque superbissimi ingenii nostri semel conculcares, divinisque mandatis morigeros redderes. Post hoc crucem illam gravissimam corpore tuo, duris verberibus horribiliter confracto, acerrimis flagellis immaniter conscisso, diris scorpionibus crudelissime dilaniato, in illum arduum usque Calvariae montem longo itinere voluisti deferre, ut nos tuo exemplo ad crucem nostram tribulationum, adversorum subinde occurrentium et tentationum divina voluntate nobis impositarum quotidie patienter ferendam tuo mansuetissimo exemplo invitares. Poculum illud felleum bibere, ut nostram gulam reprimeres, castigares omnem intemperantiam

Digitized by Google

foedamque ingluviem semel exstingueres.

Mortem denique acerbissimam pro nobis gustare dignatus es, Domine Jesu, postquam tres horas integras in cruce atrocissime suspensus, expansis crudeliter manibus, extensis immaniter pedibus, protenso denique durissime toto corpore, post preces pro populi tui salute oblatas et supplicationes pro crucifigentium venia, pro irridentium, subsañantium, convitiantium adeoque blasphemantium indulgentia immolatas, cum clamore valido, ardentissimae tuae in nostram salutem charitatis indice, atque lacrymis flagrantissimi tui in nos oviculas tibi charissimas redimendas patrique reconciliandas zeli testibus, te ipsum offerre voluisti Deo patri in odorem suavitatis, ut nos peccatis mortuos tua morte tibi convivificares, nos inimicos et hostes tuo sanguine patri nostro reconciliares, nos extorres et coelestis regni cohæredes ad cœlestem patriam pretio vitae tuae restitueres.

Atque ut nihil omnino deesset, quod ad charitatem, Domine Jesu, erga nos omnibus modis commendandam faceret, voluisti teipsum nobis relinquere in mnemosynon ardentissimae tuæ in nos charitatis, acerbissimae passionis, atque durissimae pro nobis toleratae mortis, in viaticum ærum-

Digitized by Google

nosae istius peregrinationis nostrae, in medicinam animarum nostrarum infirmarum, in sacrificium eucharisticum, expiatorium et propitiatorium vereque pacificum, in symbolum resurrectionis nostrae, in phylacterion vitæ æternae, in certissimum denique arrabonem hæreditatis nostræ cœlestis.

Da igitur, o Domine Jesu, ut corpus tuum sanctissimum in hoc Sacrificio relictum sit mihi indigno famulo tuo assiduum acerbissimae tuae mortis pro me ingratissimo toleratae mnemosynon: ut tuo exemplo semel mundo crucifixus, peccatis ex animo mortuus, tibi commortuus et consepultus, tibi, uni Domino nostro, cum toto grege tuo vivamus, qui pro nobis omnibus mortuus es, et resurrexisti, ut de tuo illorum grege vere simus, qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.

Nunc, Domine Jesu, da, ut cognoscamus et reipsa experiamur admirandam hujus tremendi tui sacrificii pro nostra totiusque ecclesiae tuae catholicae salute efficaciam, pro nobis in ara crucis semel oblati et hac hora commemorati, ut semper appareas vultui Dei pro nobis tanquam advocatus, nostra peccata quotidianasque transgressiones assiduo tuo patrocinio ex-

Digitized by Google

terminaturus, ut appareas, inquam, apud Deum Patrem tanquam intercessor flagella haec iratissimi patris nostri gravissima, justissimas peccatorum nostrorum poenas deprecaturus, et ut appareas in cœlo mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus; ut tua intercessione, propitiatione, placatione atque pacificatione, patrem nostrum nobis semper sentiamus placatum atque propitium; ut nos semper benignus respiciat et placidus, iramque suam justissimam a nobis nunc tandem benigne avertat, furorem cohibeat, flagella hæc gravissima deflectat et populum tuum tuo pretioso sanguine redemptum semel propitius respiciat; ut ei in catholicae fidei unitate congregato auferat cor lapideum, durum, obstinatum, caecum et impoenitens, reddatque cor carneum, spiritum novum, quo Dominum pie timeat, Deum suppliciter revereatur, patrem religiose colat et amet, totoque pectore tibi adhaerens te unum omnibus ducem sequatur atque doctorem, ac unus tecum efficiatur spiritus.

Moveat te ergo, Pater clementissime, haec clementia tua; moveat te haec incomprehensibilis misericordia tua, quae nos tibi coegit filios eligere, hæredes regni tui cœlestis constituere, atque adeo cohæredes Domini nostri Jesu Christi Filii tui

Digitized by Google

unigeniti efficere. Moveat te, inquam, ad nostri misericordiam, o Pater clementissime, haec immensa pietas tua: moveat te saltem calamitas nostra, haecce incredibilis plaga, haec crudelis et hostilis plaga, pietate paterna nobis filiis tuis justissime inflicta, ut gentem peccatricem ad te revocares et ad coelestem patriam reduceres. Verum hisce flagellis gravissimis adeo non sumus ad te reversi, necdum sanati, ut peccata nostra praedicare non erubuimus neque in hunc usque diem jactare desistimus. Ita quidem est, pater benignissime, ita certe est, nos peccavimus, et tu iratus es: tu tamen pater noster es. Immensa illa igitur pietas tua, Domine Jesu Christe, quae te coëgit et vicit, ut nostri causa mortem acerbissimam gustares, atque teipsum nobis relinqueres in tuae charitatis mnemosynon, in sacrificium eucharisticum, expiatorium et propitiatorium: illa, o mediator noster et pontifex, fidelis atque misericors, cogat te nostri misereri, ut tua intercessione, pacificatione, clementique propitiatione patrem nostrum sentiamus placatum, propitium et ex animo pacificatum. O Pater benignissime, immensa illa tua charitas, quæ te coegit, ut unigenitum filium tuum traderes in manus peccatorum, pro nobis tibi re-

Digitized by Google

conciliandis crucifigendum, cogat te, obsecro, nostri misereri, ut iram tuam justissimam a nobis nunc avertas. Invicta etiam illa pietas te flectat, o Pater clementissime, quae te coegit, ut ecclesiae tuae promitteres: »Etiam si mater obliviscatur filiorum suorum, ut non misereatur filiorum uteri sui, ego tamen non obliviscar, non deseram, non derelinquam.«

Respice nunc igitur eam pauperculam, tam truculentis vulneribus sauciatam, tam immani viscerum suorum dispersione afflictam, tam ferali ac funesta dissipatione dissipatam, et acerbissima hac filiorum suorum miserorum orbitate orbatam, atrocissime saevientium istarum et in horas invalescentium haereseon, grassantium bellorum, vigentium abusuum et vitiorum inundantium, sacrilegorum, impietatum, et divini nominis tui blasphemiarum tempestate convulsam: quæ nunc sedet absque consolatione tua paterna illic, et ovili isthoc afflictissimo, totoque orbe catholico, dirissimis luporum variorum morsibus exposita.

Perge igitur, o Pater clementissime, quæso, atque per Christum Jesum pro nobis crucifixum obsecro, ejus misereri, atque salutaria remedia, sublatis tam variis humanae prudentiae astutiis, gravibusque

Digitized by Google

hypocritarum remoris et perniciosis ceteris diaboli remoris, efficaciter adhibere, ut sublatis gravissimis abusuum et scandalorum offensionibus, in unitate fidei catholicæ congregati atque reduniti, tuae majestati, o Pater coelestis, in sanctitate vera et justitia non simulata servire valeamus.

Excita denique, Pater clementissime, in ecclesia tua spiritum tuum, cui apostoli tui Petrus et Paulus ceterique sancti tui servierunt, ut eodem et nos repleti studeamus id amare, quod amaverunt, et opere implere, quod docuerunt, atque in exsequendis mandatis tuis studeamus tibi et voluntate et actione placere. Da ecclesiae tuae tandem, o Pater clementissime, pastores secundum cor tuum, qui populum tuum pascant in doctrina et judicio, qui cogitent ex animo de gravissimis irae tuae istius justissimae, tam diu super nos effusae, causis exscindendis, de collapso Davidis tabernaculo erigendo, de confractis ejus instaurandis, de ruinis fulciendis, de reliquiis colligendis, de oviculis pretioso Filii tui sanguine redemptis, semel requirendis, convocandis, congregandis, pascendis, sanandis et vivificandis, quod nobis cum superioribus omnibus, Pater clementissime, donare digneris, per Filium tuum pro nobis crucifixum et in odo-

Digitized by Google

rem suavitatis certamque nostram reconciliationem immolatum. Experiantur etiam fidelium fratrum nostrorum animae hujus sacrificii efficaciam, ut misericordiam cum eis agas, quam eorum peccata meruerunt; nos denique miseros peccatores et servos inutiles ne patiaris perire, pater clementissime, quod pretioso Filii tui sanguine redimere es dignatus. Amen.

Alia oratio, ut in Christi Jesu passione commemoranda sese quisque exercere debeat.

Ut Moses jussus fuit populo, morsibus serpentum graviter laeso, serpentem fingere aeneum eumque appendere in ligno, quem quotquot conspicerent sanabantur a morsibus serpentum: ita, qui Christum in cruce pendentem ejusque acerbissimam passionem studiose ac devote seu religiose discit mente revolvere, facile is suorum consequetur veniam peccatorum et a pravis suis propensionibus ac vitiis curabitur. Quod enim in veteri lege praefiguratum est, ubi (juxta Apostolum) pene omnia in sanguine mundabantur, et sine sanguinis effusione non fiebat remissio, ita hodie quoque non peccatorum remissio, non animæ sanitas absque sanguine agni immaculati Jesu Christi potest impetrari vel obtineri. Nam ut is nostra est redemptio, adeo ut

Digitized by Google

sine ipso nemo possit salvus effici; ita est et justificatio nostra, ut sine ejus meritis nemo a suis possit peccatis redimi, aut boni quidpiam mereri, quando merita quæcunque quarumlibet bonarum actionum ab ipso suum et initium et efficaciam seu virtutem habere necesse est.

Atque ita spes omnis et fiducia nostræ salutis in ipsius passione collocanda et constituenda est, neque alibi uspiam, præterquam in libertate filiorum Dei, qua Christus nos liberavit, acquiescere fas habemus. Et id quidem est unicuique firmiter retinendum atque observandum, tum in vita, tum in morte, ne ullum ob peccatum desperet. Deinde cum quotidie peccemus, quotidie itidem nobis Christi est passio commemoranda, ut per eam expurgemur et a peccatis servemur. Quisquis enim hanc sui Domini passionem in corde circumferre negligit, virtutis illius non est dignus esse particeps; atqui, quoties eam commemorat, ab aliqua macula expurgatur, adeoque, quoties coelesti Patri unigenitum Filium ejus in cruce pendentem devota ac grata offert mente, toties virtutem passionis ejus consequitur. Et haec ejuscemodi medicina est, ut nedum sanare atque curare, sed etiam servare ac praeservare hominem sit idonea a peccatis item-

Digitized by Google

que pascere ac corroborare et confirmare eum in virtutibus.

Nihil enim perinde ad virtutem excitat, neque adeo ad peccati odium accendit, nihil aeque in virtutibus progredi facit, nihil ita ad sæculi contemptionem proximique promovendam salutem permovet, nihil perinde animum durum ac insensibilem emollit, movet et afficit, et ad spiritualem suscipiendam gratiam Dei aptum atque idoneum reddit, ut pia devotaque passionis Christi commemoratio. Quo nimium etiam Dominus Jesus suam adhortatur sponsam, dicens in canticis: „*Pone me ut signaculum super cor tuum: ut signaculum super brachium tuum*“ id quod tum facimus, cum Christi vitam et passionem in memoria gerimus, et ad eam omnem nostram componimus atque moderamur vitam, illi laudes gratesque agentes cordibus, et actibus obsequentes. Est præterea Christi passionis meditatio, totius boni exercitatio. Per hanc enim intellectus illustratur, cum sit Christus lux mundi. Neque ullum aliud exercitium est, quod tantum ad virtutes excitet, instiget, promoveat, ac progredi faciat hominem, ac Christi passionis commemoratio.

Quis enim possit sustolli animo ac superbia intumescere, si Christum ita con-

Digitized by Google

spiciat humilem atque humiliatum? Quis vero turbari animo aut indignari queat, attendens Christum pro suis hostibus deprecantem? Quis adeo durus sit, ut non emolliatur ac sese vilipendat? Quisne immoderate ac graviter seu indigne ferat sive pecuniae, sive nominis, sive existimationis jacturam, verbis aut reipsa illatam injuriam? Itemque morbos, casus adversos, aut afflictiones, si attendat sibique ob oculos constituat Jesum crucifixum, qui suam reliquit hæreditatem, qui a patre et amicis omnibus fuit derelictus, inter duos suspensus latrones, consputus, illusus, toto vulneribus confectus corpore, atque demum membris omnibus extentus, ita ut ne unum quidem superesset membrum, aut e quinque sensibus ullus, qui non singulari fuerit correptus dolore et cruciatu.

Quis autem usque eo lapideus, saxeus aut caecus sit, qui non ista commemorando perterreatur et a vanitatibus, sensuum oblectamentis, ac malitia animum revocans totumque se avertens ad hujus imitationem passionis et ad vitam poenitentiae deditam sese conferat, cogitans secum, indignum plane esse, ut sub spinoso adeoque compuncto capite membrum ullum in deliciis sit?

Est tamen ipsa sic natura comparatum,

Digitized by Google

ut membra simul omnia condolescant, ubi unum aliquod patitur. Eam ob rem quisquis Christi meditando passionem non compatitur, non commiseratione permovetur, ferendum est, eum in Christi corpore per illius gratiam neutiquam vivere, sed ex aliquo gravi peccato emortuum esse.

Neque plane inter pie religioseque christianos numerandus est, qui hoc tantum, tam insigne beneficium non quotidie secum ipse commemorat; puta, quod tantus dominus ex tam prorsus immerita charitate pro nobis tam vilibus perpeti tanta non est dedignatus. Ad haec quando juxta Paulum: »Qui compatitur Christo, etiam conregnabit et congaudebit« est sane timendum, illos aeterna perfruituros in coelis praesentia non esse, quibus modo grave nimium est, vel dimidiam per diem horulam ejus meditari passionem? Idque ea de causa, ut hinc ad amorem incitetur. Nimirum qui illius cogitando passionem ex condolentia ac commiseratione, dolore ac moerore afficitur, idem agit, ac perinde illi gratum et acceptum praestet obsequium, ac si in ejus passione consolatus eum fuisset, adeoque qui illius cõmemoranda passione sese occupat, non minorem percipiet mercedem, quam si ex amore una cum eo in poenis

Digitized by Google

et cruciatu fuisset: per hanc enim condolentiam seu compassionem anima cum Deo charitatis nexibus jungitur ac unitur et omnigenis exornatur virtutibus. Qui enim Christi misereatur, nuditatem si Christo nudo condolescit, is ab eo omnis generis vestitur virtutibus: et qui cum D. Paulo Christi vulnera seu stigmata in suo gerit pectore, omne mundi hujus gaudium doloris ac amaritudinis loco habet. Ut enim possit is moribus esse dissolutus ac levis? aut in suis actibus vanus et sensibus obsequens, qui Christi passionem continenter speculari et attendere discit, habitans cum sponsa in foraminibus petrae, in caverna maceriæ? Huc autem sponsam eandem Christus sponsus ejus invitat et vocat: quod hic virtutum schola, spiritus cubiculum et salutis umbra sit, quæ animam servet, tueatur, refrigeret ab omni aestu et improbis desideriis ac appetitionibus.

Unde et sponsa dicit: »Sub umbra illius, quem desiderabam, sedi, et fructus illius dulcis gutturi meo.« Itaque venite omnes qui laboratis et onerati estis, et invenietis hic requiem animabus vestris; et quos premunt imperfectionis onera, hic alas amoris quaeritote cum sancto David, dicentes: »Quis dabit mihi pennas sicut co-

Digitized by Google

lumbae, et volabo et requiescam ?« Etenim alae seu pennæ animæ extenta sunt Christi brachia in crucis arbore: de quibus alis, si quo peccato premeris, clama cum sancto David: »Sub umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas«. Quod si qua tentatione pulsaris versus ad crucem, dicito cum eodem Propheta: »Sub umbra alarum tuarum protege me, Domine, a facie impiorum, qui me afflixerunt«. Cordis namque ad crucem sublevatio, in omne tentatione praestat refrigerium, et tentatores omnes propulsat atque depellit.

Atque ea de causa anima spiritualis seu religiosa tum maxime ad Christum crucifixum corde sese convertere, ejusque meditari passionem debebit, cum se senserit tentatione pulsari. Ita namque una cum Christo patietur, si in tentationibus propter Deum patiens esse noverit.

Ad hanc passionis Christi exercitationem nemo absque fructu, gustu aut profectu accedit; est enim manna coeli omnem in se animæ continens delectationem ac suavitatem.

Enimvero inchoantibus materiam subministrat quaslibet vanas profligandi cogitationes, quibus nonnulli haud mediocriter infestantur ac divexantur.

Itemque lactis illis ac mellis praestat

Digitized by Google

copiam, quo ad novum quendam rerum spiritualium pertingant gustum. Hic namque invenire est spirituales illos puteos seu fontes Israel, quos nostri fodere majores, atque inde locupletes effecti sunt: etenim vivae seu vitales illae aquae sunt, quarum meminit Esaias, dicens: »Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris«. Deinde et proficientibus quoddam velut incentivum est progrediendi: cum scilicet animadvertunt, quam strenue Christus Dominus ipsos sua in passione antecesserit. Est et ad aegrotationes ac languores omnes medicamentum seu medicina, et ad bona quaeque consequenda adjumentum. Dum enim conspiciunt atque intelligunt, Christum in crucem ascendentem post se traxisse omnia, incitantur et ipsi atque appetunt, illius amore cuncta derelinquere. At perfectis denique ex hac crucis contemplatione longe major accedit fructus et compendium, uti videre licet in sanctorum omnium gestis, praeclaris virtutibus ac vitis.

Eam ob rem quisque cum sponsa fructibus sancti spiritus ditari appetit, studeat atque conetur occultas et abditas crucis pervestigare virtutes, semperque det operam delectari crucis amplexu, et ut eo inebrietur vino, de quo sponsa spiritalis

Digitized by Google

loquens: »Ascendam, inquit, in palmam, et apprehendam fructus ejus, et erunt ubera tua sicuti botri vineæ«. Interim tamen nos, qui etiamnum in virtutibus pusilli sumus, sermonem habeamus cum imperfectis, et sublimia eis relinquamus, qui in virtutibus et gratia sublimiter provecti atque sublevati sunt.

Denuo nunquam ex tua abeat memoria quatuor haec: Quis sit, qui passus et mortuus est; quid passus sit; et quam innocens mortem oppetierit; quam immensa et incomprehensibili ex amore obierit: cujus denique causa ita mortuus sit. Dic ergo: Tam perfecte, tam ex animi desiderio et sententia, tam specialiter pro me, Jesu dulcissime, mortuus es, ac si solus ego fuissem aut solus ita redimi necesse habuissem aut certe solus tuae mortis causa fuissem.

Enimvero ne fortasse dicas: Jam quidem surrexit a mortuis et ascendit ad coelos, sed me hic in his miseriis et exilio dereliquit: advertendum venit, ascendisse eum quidem ad tui amorem, gaudium, consolationem ad coelos, at nihilominus hic tecum permansisse, nec in sua dumtaxat divinitate, sed etiam humanitate, verum scilicet Deum et hominem verum, qualis ad superna perrexit, idque in præstantis-

Digitized by Google

simo ac venerabili sacramento: ita ut ad tui amoris, devotionis, gaudii exercitationem et incrementum, quoties libet ad ipsum, ita in hoc suavissimo sacramento, licet occulte, in sacris ædibus præsentem accedere queas, sicut ipse eadem de causa, ut scilicet tuum renovet et inflammet amorem et gaudium, de summis coelorum sedibus ad te descendit, quoties sacerdos Missae Sacrum peragit.

Digitized by Google

Preces
ad confessionem sacramentalem.

Ne tardes converti ad Dominum et ne differas de die in diem; subito enim veniet ira illius. *Eccles. 5.*

Quod si forte pudor est tibi, uni homini et peccatori peccatum tuum exponere, quid facturus es in die judicii? *S. Bernardus.*

Heu! cur erubescis confiteri, quod facere nequaquam erubuisti? *S. Augustinus.*

Oratio præparatoria.

Pater, peccavi in cœlum et coram te; suscipe ergo confessionem meam, piissime ac clementissime Domine Jesu Christe, unica spes salutis meæ animae! Da mihi, obsecro, contritionem cordis et lacrymas oculis meis, ut defleam die nocteque omnia peccata mea cum humilitate et compunctione cordis. Appropinquet oratio in conspectu tuo, Domine; si iratus fueris contra me, quem adjutorem quaeram? Quis

Digitized by Google

miserebitur iniquitatibus meis? Memento mei, Domine, qui Chananæam et Publicanum vocasti ad poenitentiam et Petrum lacrymantem suscepisti. Domine Deus meus, suscipe preces meas, salvator mundi, Jesu bone, qui te crucis morti dedisti, ut peccatores salvos faceres: respice me miserum peccatorem invocantem nomen tuum, et noli sic attendere malum meum, ut obliviscaris bonum tuum: et si comisi, unde me damnare potes, tu non amisisti, unde salvare soles. Parce ergo mihi, qui es salvator meus, et miserere peccatrici animae meae: solve vincula ejus, sana vulnera, Domine Jesu: te desidero, te quæro, te volo; ostende mihi faciem tuam, et salvus ero. Emitte igitur, piissime Domine, precibus et meritis purissimæ et inaculatæ semper virginis Genitricis tuae Mariae et Sanctorum tuorum lucem tuam in animam meam, quae omnes defectus meos in veritate mihi ostendat, quos confiteri me oportet atque juvet, et doceat ipsos plene et contrito corde explicare.

Petitio luminis ante examen conscientiae.

Domine Jesu Christe, vera lux mundi, illuminans omnes, qui in tenebris et in umbra mortis sedent, illumina per s. Spi-

Digitized by Google

ritus tui gratiam cor et conscientiam meam, ut perfecte, quidquid divinae majestatis tuæ oculos offendit, recognoscere et illud vera cordis contritione humilique confessione expiare valeam. Qui vivis et regnas etc. Pater noster etc. Ave Maria etc.

Conscientiam examinans, distincte dispice species ac numerum peccatorum, si sint mortifera; nam haec distincte explicanda, ne in die judicii innotescant.

Actus contritionis.

Sanctissime Deus et Pater meus! Ego licet omni bono indignissimus et dignissimus omni poena, doleo ex intimo corde, quod te summum bonum meum offenderim, et detestor peccata mea plus, quam omnia mundi mala, idque ex purissimo amore tui, quem agnosco meliorem omnibus et quem talem nunc aestimo, amoque super omnia bona cœli et terræ. Ideoque propono nunc vitare deinceps omne peccatum et omnes peccandi occasiones et quae nondum confessus sum, integre confiteri et omnia exsequi, quae mihi per vicarium tuum necessaria praescripseris ad salutem. Ut autem hoc re ipsa praestem, et ut remissionem peccatorum meorum a te consequar, offero tibi pretiosissimum sanguinem D.

Digitized by Google

N. J. C. et omnia merita sanctissimæ vitæ ipsius, ut eorum beneficio ac per merita et intercessionem beatissimæ Virginis Mariæ et omnium Sanctorum acceptam tibi exhibeam servitutem, ac denique salvus evadam.

Alia formula contritionis.

Mi Jesu, doleo; doleo, mi Jesu; ex toto corde doleo, ex intimis visceribus animae meae, quod te, mi Jesu, summum et infinitum bonum, unquam offenderim. Utinam, mi Jesu, dolor meus procederet ex unico illo et purissimo motivo illius summi, sincerissimi et ardentissimi amoris, qui unquam vel S. Petri, Augustini vel Magdalenae, vel ullius alterius vere ac sincere poenitentis cor et animam penetravit! O mi pulcherrime, o mi suavissime, mi optime Jesu, Dominus meus et Deus meus! Poenitet me, contristor et conturbor, non quod poenas inferni promeritus sim, quas imo timeo; non quod coelesti gloria exciderim, quam credo et spero, sed puro amore tui, quod te offenderim, qui bonus es super omne bonum, pulchrum super omne pulchrum: amabilissimus super omnia Deus, quem amo et amabo super omnia.

Digitized by Google

Tum ingressus confessionale peccata tua confitere, tanquam reus judici adstans, et confessus humiliter peccata et accepta absolutione, reiterato vero dolore de peccatis recita hanc orationem.

Oratio.

Gratias tibi ago, piissime Jesu, quod me indignum peccatorem ad poenitentiam patienter exspectaveris et veniam et indulgentiam peccatorum mihi clementer concesseris. Suscipe, obsecro, hanc humilem confessionem meam, quam feci, et quidquid mihi nunc defuit ad plenam et sinceram enumerationem peccatorum meorum et convenientem pro iisdem dolorem, tu ex fonte misericordiae tuae ac thesauro passionis tuae benigne supplere digneris meque perfecte absolutum habere in cœlis: et praesta auxilium gratiae tuae, ut deinceps peccata devitem ac fidelius tibi serviam, intercedente gloriosa Virgine genitrice tua Maria et omnibus Sanctis, qui tibi placuerunt ab initio mundi: juravi enim et statui deinceps custodire judicia justitiae tuae, te adjuvante, qui vivis et regnas etc.

Peracta poenitentia a sacerdote injuncta prosequere:

Digitized by Google

Sit tibi, Domine, obsecro, meritis B. Mariae Virginis et omnium Sanctorum grata et accepta ista confessio mea, et quidquid mihi defuit, nunc et alias de sufficientia contritionis, de puritate et integritate confessionis, suppleat pietas et misericordia tua: secundum illam digneris me habere plenius et perfectius absolutum in coelis. Qui vivis et regnas in sæcula saeculorum. Amen.

Dulcissime Redemptor, amo te ex toto corde meo, ex tota anima et ex totis viribus meis. Puro amore tui doleo, quod unquam offenderim te, summum ac unicum bonum meum, firmiterque statuo, in posterum jam non peccare.

Statui custodire mandata tua, ast non quod volo bonum, hoc facio, sed quod non volo, malum. Tu enim nosti fragilitatem meam, quia inops et miser sum ego, nec quidquam sine te facere possum. Adjuva ergo fragilitatem meam præpotenti tua gratia; ita super aspidem et basiliscum ambulabo et conculcabo leonem et draconem. Transfige, dulcissime Jesu, cor meum, telo ardentis amoris tui; fac, ut nauseat mihi mundus et ut non quæram alium amorem, nisi Jesum et Jesum quidem crucifixum. Da mihi perseverare usque ad finem in tui servitio, ut non retrospiciam, sed ascen-

Digitized by Google

dam alacriter in montem perfectionis, donec merear te videre in gloria, qui es merces mea magna nimis in omne aevum. Confirma, quod hodie operatus es in me. Amen.

Preces ad Communionem sacramentalem.

Ante Communionem.

Fides. Adoro te devote, latens Deitas, quae sub hisce figuris vere latitas. Firma fide credo, te vere esse praesentem realiter et essentialiter sub his speciebus panis et vini, corpore et anima, carne et sanguine, deitate et humanitate. Visus, gustus, tactus in te fallitur, sed audito solo tuto creditur. Sufficit mihi verbum tuum, qui dixisti: „Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus. Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem.“ Credo, quidquid dixit Dei filius, nil hoc verbo veritatis verius. Non opus est, ut inittam digitos meos in plagas tuas, sicut Thomas; nam infallibilis es veritas; fac me tibi semper magis credere; cupio et desidero vivere et mori in hac fide et pro hac fide. Adauge, quaeso, fidem meam.

Digitized by Google

Spes. O salvator mi, tu es spes mea a juventute mea; quid me poteris negare, qui temetipsum mihi dedisti? Promisisti mihi vitam aeternam in te, si manducarem carnem tuam et biberem sanguinem tuum; hac promissione fretus et meritorum tuorum virtute et efficacitate hujus sacramenti spero a te vitam, gratiam ac gloriam sempiternam. Et quid non sperem a te? Tu solus potes dare omnia, qui potens es; tu dare vis omnia, quia infinite bonus es; da ergo, quae peto, Domine. Ego infirmus sum, sana me; caecus sum, da mihi lumen; sum immundus, munda cor meum, fons puritatis; ego ignorans, doce me, tepidus ego, accende igne consumente zelum meum, salva me sperantem in te; in te enim, Domine, speravi, non confundar in aeternum.

Charitas. Vere enim, Deus, Salvator meus es, et bonus es super omne bonum. Et ideo diligo te, Christe Jesu, qui ex nimio amore mei in carnem venisti et ad mortem usque dilexisti me, et in signum hujus amoris in sacramento teipsum dedisti. Amo, inquam, te super meipsum et omnia, aut certe sic amare te et tibi soli semper adhaerere vehementer desidero; utinam per virtutem hujus Sacra-

Digitized by Google

menti inter te et me coalescat amoris unio, ut nil me separare queat a charitate Christi Salvatoris mei!

Desiderium. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, sic desiderat anima mea ad fontem aquae vivae, ad cœnam mensae tuae. Sitivit anima mea in te; quis mihi det, ut in te solo requiescat anima mea? Per viscera misericordiæ tuae rogo te, ut dicas mihi: Salus tua ego sum! Ecce ad animam pauperculam et maculatam intras. Orna eam divina tua gratia, ut dignum fiat habitaculum tibi. Exsultant in te cor et caro mea, in te, qui laetificas juventutem meam. Quæsivi tua, Domine rex meus, tabernacula. Veni ergo, sponse animae meae dilecte, veni et conjunge me tibi; veni et noli tardare. Patent tibi cordis mei penetralia, in quibus perpetuo quiescas. Ad te anhelat anima mea; paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. Ingredere in domum, in possessionem tuam, ibi sempiternam facias mansionem cum Patre et almo Spiritu in saecula saeculorum.

Humilitas. Quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Quomodo audeam accedere

Digitized by Google

ad te? Nonne tu es Deus, Dominus, creator et redemptor meus, Rex coeli et terrae? At quis ego? Vilis terrae vermiculus, pulvis et cinis et, quod indignius, toties erga te inobediens et ingratus peccator! Non sum dignus, Domine, ut intres sub tectum meum; sed memento, quia, cum esses Dominus omnium, assumpta servi forma venisti ad nos et familiariter egisti cum publicanis et peccatoribus. Denique humiliasti temetipsum usque ad mortem. Illa, quaeso, te moveat humilitas, ut me vilem et humilem non despicias, sed clementer ad me venias aut venientem ad te benigne suscipias.

Contritio. Sacrificium spiritus contribulati tibi, mi Domine, una cum sacrificio corporis et sanguinis Filii tui, Salvatoris mei, humiliter offero. Doleo enim ex intimo corde, quod te Deum meum, summum bonum, beneficum ac toties in sacramento me reficientem, unquam offenderim peccatis meis, praesertim talibus N. et N., quae tu nosti, o scrutator cordium! Sed et miser ego peccator in amaritudine animae meae dolens confiteor. Utinam nunquam offendissem te! sed cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies, tu, qui amore nostri dedisti nobis Unigenitum tuum, ut

Digitized by Google

nos lavaret a peccatis nostris in sanguine tuo.

Fiducia. Invitas me, optime Jesu, ut veniam ad te; imo minaris damnatione aeterna, si non manducem carnem tuam et bibam sanguinem tuum. Lubenter obediens invitationem tuam gratiosam sequor. In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum. Ad te confugio, Domine, intra vulnera tua absconde me. Adspergatur anima mea, agne immaculate, sanguine tuo, ut signatus in ultima judicii die gregi electorum tuorum adnumerer. In te solo est exspectatio mea et fiducia mea, qui tam amanter nos invitans dixisti: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos; et qui venit ad me, non ejiciam foras. Venio ergo ad mensam tuam, ut reficiar et conforter carne tua sacrosancta. Munda me, purifica me et indue me veste nuptiali. Nam si vis, potes me sanare et mundare; quod vis, scio, quia infinite bonus es.

Ad „Domine, non sum dignus.“

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, quia filius Adae sum ego n peccatis conceptus et natus.

Digitized by Google

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum; homo enim peccator sum ego, quia peccavi nimis a juventute mea.

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, quia peccans peccavi in cœlum et coram te usque adhuc, et adauxi dolorem vulnerum tuorum.

℣. Miserere mei, fili David.

℟. Sana animam meam, quia peccavi tibi.

Quis mihi det te fratrem meum, panem angelorum, cibum viatorum, omne delectamentum in se habentem et omnem saporem suavitatis? fructum uteri virginalis, vinum germinans virgines, hostiam sanctam, verbum caro factum, incruentum sacrificium, vinculum charitatis, fontem omnis gratiae, pharmacum immortalitatis: frumentum electorum, manna absconditum, viaticum in Domino morientium, pignus futurae gloriæ, refectionem animarum sanctarum. Veni, Domine Jesu, veni in paces; veni et visita me in salutari tuo.

Post Communionem.

Domine Deus meus, in cujus conspectu sto, coram quo tremunt universae potestates et omnia sunt, quasi non sint; adoro te in hoc sacramento latentem, cor meum

Digitized by Google

modo inhabitantem, corpus meum in templum sibi consecrantem: adoro te et homagium facio tibi soli deinceps serviendi tuisque parendi mandatis. Et nunc, quod in baptismo per alios feci, per memet ipsum praesto, atque amore tui abrenuntio mundo ejusque honoribus, carni ejusque voluptatibus, diabolo ejusque superbiae et omni creaturae, quae impedire me posset a servitio tuo, aut retardare in amore tui. Quid enim? forte hodie, sicut fur in nocte, ita veniet improvisa mors: et quid tum coram tribunal tuo responderem tibi, si ob levem voluptatem aut vanitatem declinassem a mandatis tuis, Domine?

Contritio. Ah utinam nunquam te offendissem, Pater amantissime! Tu vere omne bonum es et ab immensa tua charitate omnia bona mihi venerunt, pro quibus eheu reddidi nonnisi mala impius et ingratus. Verum, ecce! redeo servus ad Dominum, filius prodigus ad patrem misericordiarum et Deum totius consolationis et adhaerere deinceps tibi volo fide viva, spe firma et charitate perfecta.

Admiratio. O Jesu admirabilis! licet summe admirer incomprehensibilem potentiam, sapientiam et bonitatem tuam, pro

Digitized by Google

omnibus tamen te admirabilem reddit oculis meis tanta humilitas et teneritudo cordis tui erga nos miseros mortales, ut majestatem tuam infinitam in Sacramento abscondas, immensitatem quodammodo coarctes et sublimitatem humilies, quo facilius nobiscum uniaris. O vera stupenda charitas, o humilitas profunda nimis!

Gratiarum actio. Quid tibi, o pater misericordiarum, rependamus, qui sic mundum dilexisti, ut filium tuum unigenitum dares, non modo, ut mortem pro salute nostra subiret, verum etiam in cibum animarum nostrarum se daret et nobiscum esset usque ad consummationem saeculi. En ipsum dilectissimum filium tuum, quem, licet indignus tanto beneficio, nunc suscepi, meque una cum ipso tibi in gratiarum actionem offero. Respice, quaeso, non in me miserum peccatorem, sed in faciem Christi tui, considera in filio, quod te moveat misereri servo: et dum illius tibi patent vulnera, mea tegantur scelera. Hic est ille dilectus filius, in quo tibi bene complacuisti; per quem, obsecro, et ego ita tibi placeam, ut in numerum electorum tuorum admitti teque in gloria tua una cum eodem filio tuo et s. Spiritu aeternum intueri et laudare merear. Amen.

Digitized by Google

Oblatio sui. Suscipe, Domine, propositum hoc meum, quo tibi perfecte servire hodie coram te firmiter statuo, praecepta tua et ecclesiae tuae servare, suum cuique tribuere, uti temperanter donis tuis, omnia adversa et prospera suscipere de manu tua, omnia ad tuam unius gloriam facere, peccata fugere. Offero tibi cor, corpus et animam meam, oculos et manus, aures et linguam meam, quae nunquam deinceps ad illicita quæcunque convertam. Denique me totum offero majestati tuae, non solum utique, quia vilis creatura tua sum, sed offero me una cum pretiosissimo pignore corporis Christi, quod suscepi, quod donasti, quod meum est, et cui mystice sum incorporatus et unum quodammodo cum eo sacrificium, oblatio et holocaustum factus sum. Fac mecum secundum beneplacitum tuum; servus enim tuus sum ego et opus manuum tuarum; desidero soli tibi servire, placere, vivere et mori.

Amor Dei. O Bonitas infinita! diligo te vere ex toto corde meo; a te enim et in te solo omne bonum meum est; ubique mihi praesens es, vitam largiris et omnia. O fons amoris perpetui, cur te neglecto a

Digitized by Google

creatura aliqua vanum quæram solatium? Tene, bone Jesu, derelinquam fontem aquae vivae, ad bibendas hujus mundi aquas turbidas, et fodiendas mihi cisternas dissipatas?

Petitio. Exi a me, Domine, quia homo sum peccator. Sed quid dico? Si tu a me exis, perditus sum; sepelior fluctibus tentationum, mergor in abyssum maris iniquitatum. Non recedas, sed maneas mecum. Aegrotus sum, indigeo medico. O coelestis Samaritane! Ecce quot plagis peccatorum saucius, quot morbis vitiorum afflictus jaceo! Si vis, potes me sanare. Languent aures et oculi; sana et averte eos, ne videant vanitatem. Languet lingua et os, gulae et loquacitatis verbo! Pone custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis! Languet cor amore proprio, et corpus totum fomite peccati; deprecor te, tolle illam a me! Languet anima superbiae, irae et concupiscentiae febribus; exstingue illas rore tuo cœlesti. Languent manus, ne laborent pro gloria tua; languent pedes, ne ambulent in viis tuis. Confirma me, Domine, in hac hora et statue pedes meos tanquam cervorum, ut alacriter curram viam mandatorum tuorum, donec intuear in coelo, quem nunc veneror in Sacramento.

Digitized by Google

Obsecro te, dulcissime Jesu, per virtutem pretiosi corporis ac sanguinis tui; concede mihi spiritus tui fervorem, amoris tui dulcedinem, fraternae dilectionis sinceritatem, in tentationibus fortitudinem, in adversitatibus patientiam, in prosperis humilitatem; in corde puritatem, in ore veritatem, in opere stabilitatem, in moribus gravitatem, in tuo servitio perseverantiam; ut tuo voluntati satisfaciam, in tuo amore proficiam, mihi moriar et tibi soli vivam; atque inter sanctos et electos tuos in cœlesti gloria adnumerari merear, te praestante et adjuvante, Jesu Christe; cui laus, gloria et honor ab omnibus creaturis in saecula saeculorum. Amen.

Piae petitiones S. Augustini.

Domine Jesu, noverim me, noverim te,
Nec aliquid cupiam, nisi te.
Oderim me, et amem te.
Omnia agam, propter te.
Humiliem me, exaltem te.
Nil cogitem, nisi te.
Mortificem me, et vivam in te.
Quaecunque eveniant, accipiam a te.
Persequar me, sequar te,

Digitized by Google

Semperque optem, sequi te;
Fugiam me, confugiam ad te,
Ut merear, defendi a te.
Timeam mihi, timeam te;
Et sim inter electos a te.
Diffidam mihi, fidam in te;
Obedire velim propter te.
Ad nihil afficiar, nisi ad te,
Et pauper sim propter te.
Aspice me, ut diligam te;
Voca me, ut videam te,
Et in aeternum fruar te. Amen.

Ad B. Virginem.

Sancta Maria! Ad te matrem misericordiae confugio et rogo te, ut meum in hac s. communione defectum per merita tua supplere et per tuam intercessionem me adjuvare velis; pro omnibus autem beneficiis, praesertim per hoc ss. Sacramentum a divina bonitate, mihi hodie et unquam collatis, offerre digneris dilectissimo filio tuo omnia merita tua, ardentissima desideria, charitatem, humilitatem et angelicam puritatem tuam, qua eundem de Spiritu sancto et sacerdotis manibus post ascensionem suam suscepisti. Intercede pro me humillimo servo tuo, gratias et laudes aeternas Deo decantans; quia nimis indigna

Digitized by Google

est laus et gratiarum actio, quam ego peccator filio tuo et Deo salutari meo præstare valeo. Pro pretiosissimo corporis sui edulio, et per amorem ejusdem filii tui, te obtestor ut mei loco.

Canticum.

Magnificet anima tua Dominum, o Maria, et exsultet spiritus tuus in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Magnificet anima tua Dominum, o Maria etc.

Quia fecit mihi magna, qui potens est et sanctum nomen ejus. Magnificet anima tua etc.

Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. Magnificet ani-anima tua etc.

Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui. Magnificet anima tua etc.

Deposuit potentes de sede et exaltavit humiles. Magnificet anima tua etc.

Esurientes implevit bonis et divites dimisit inanes. Magnificet anima tua etc.

Digitized by Google

Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiae suae. Magnificet anima tua etc.

Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, et semini ejus in saecula.

Magnificet anima tua etc.

Gloria Patri etc. Sicut erat etc.

Digitized by Google

Orationes ad lucrandas Indulgentias

vel sibi vel animabus in purgatorio detentis applicandae.

Actus fidei. Credo in te Deum, unum in substantia et trinum in personis, bonorum remuneratorem et malorum vindicem, in persona filii pro redimendo homine incarnatum, et cetera omnia credo, quae per Ecclesiam sanctam catholicam mihi credenda proposuisti: credo, quia tu dixisti, o aeterna Veritas, verax Deus. Quod autem tu locutus fueris ea, non sinit me dubitare 1) multitudo testium ss. scilicet Martyrum, 2) magnitudo miraculorum, quae nonnisi abs te fieri poterunt, 3) ss. Patrum ac Doctorum consensus perpetuus, 4) doctrina et morum sanctitas, quae quatuor signa, seu motiva credibilitatis in nulla alia, nisi in sola ecclesia Romana inveniuntur.

Actus Spei. Deus meus, adjutor meus! firmissime spero, me abs te beatifica

Digitized by Google

tui visione aeterne beandum, quia tu, o Deus fidelissime! hoc ipse promisisti, omnibus observantibus praecepta tua; et quia ad eandem aeternam beatitudinem et observationem mandatorum tuorum me juvare potes, scis et vis; eo quod potentissimus, sapientissimus et benignissimus sis. Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina.

Actus Amoris. Amo te, Deus meus, super me ipsum et super omnia, quia tu es Deus summe bonus, pulcherrimus et omni amore super omnem creaturam dignissimus. Amo etiam, Domine, proximum meum propter te; quia tu ita jubes et quia ex conditione sua omni amore dignissimus est, utpote ad imaginem et similitudinem tuam conditus, ad consortium regni tui creatus.

Contritio. Ah utinam per tot peccata mea, maxime illa N. N., divinae majestati tuae nunquam displicuissem! Doleo animitus propter te. Ideoque propono mihi firmissime, te Deum meum, creatorem, sanctificatorem et redemptorem meum deinceps nullatenus, etiam venialiter tantum ac deliberate offendere, specialiter in hoc N.

Digitized by Google

Adjuva me, Domine Deus, potenti gratia tua. Amen.

Oratio pro exaltatione s. matris ecclesiae.

Deus, omnium fidelium pastor et rector, cujus spiritu totum corpus ecclesiae sanctificatur et regitur, quique gloriam tuam omnibus in Christo gentibus revelasti; custodi opera misericordiae tuae; ut ecclesia tua, toto orbe terrarum diffusa, bonorum omnium incremento augeatur et stabili fide in confessione tui nominis perseveret. Per Dominum nostrum Jesum Christum, filium tuum, qui tecum etc. Pater noster et Ave Maria.

Pro christianorum principum unione.

Deus, largitor pacis et amator charitatis, da famulis tuis regibus et principibus christianis, veram cum tua voluntate concordiam, ut bellis, dissensionibus et omni perturbatione semotis, secura tibi serviant christiana libertate.

Per D. N. J. C. etc. Pater noster etc.

Pro exstirpatione haeresum.

Omnipotens sempiterne Deus, qui neminem vis perire, respice ad animas dia-

Digitized by Google

bolica fraude deceptas, ut omni haeretica pravitate deposita errantium corda resipiscant et ad veritatis tuae redeant unitatem. Per D. N. J. C. etc. Pater noster etc.

Post opera pro indulgentiis peracta.

Domine Deus! utinam, quae pro indulgentiis obtinendis requirebantur, eo modo, quo oportet, peregissem! Quidquid autem mihi defuit, suppleant merita, suppleat sanguis filii tui: permitte igitur, misericors Deus, ut de his indulgentiis participem! remitte et dele pœnas, quas in hac vel altera vita pro peccatis meis sustinere deberem. Illumina me, ut gratiam hanc mihi exhibitam agnoscens, tibi summo meo benefactori gratias aeternas referam, cum ss. angelis et electis tuis, ac deinceps nullo animam meam peccato coñaculem. Amen.

Quando indulgentiae animabus in purgatorio transscribuntur.

Amantissime Jesu! Miserere animæ hujus famuli tui N. (famulae tuae N.) lustrali incendio torridæ, pro cujus liberatione a poenis purgatorii indulgentias hujus s. Communionis, et cum eadem divini san-

Digitized by Google

guinis tui pretium infinitum tibi offero. Fac, ut haec anima voracibus flammis liberetur, atque in desideratissimos amoris tui amplexus avolet, occupet rebellium angelorum optatissimas sedes ac concinat misericordias tuas in aeternum et ultra. Amen.

℣. Fiat pax in virtute tua.

℟. Et abundantia in turribus tuis.

Oremus. Deus, a quo sancta desideria, recta consilia et justa sunt opera, da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem: ut et corda nostra, mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine, tempora sint protectione tua tranquilla. Per Dominum nostrum etc.

Preces de SS. Nomine et Corde Jesu et Mariae.

Oratio ad Jesum.

O bone Jesu, o piissime Jesu, o dulcissime Jesu! O Jesu, fili Mariæ virginis,

Digitized by Google

plene misericordia et pietate! O dulcis Jesu, secundum magnam misericordiam tuam miserere mei! O clementissime Jesu, deprecor te, per illum sanguinem pretiosum, quem pro peccatoribus effundere voluisti, ut abluas omnes iniquitates meas, et me respicias miserum et indignum humiliter veniam petentem, et hoc nomen sanctum Jesu invocantem.

O nomen Jesu, nomen dulce: nomen Jesu, nomen delectabile, nomen Jesu, nomen confortans! Quid enim Jesus est nisi salvator? Ergo, Jesu, propter nomen sanctum tuum, esto mihi Jesus et salva me: ne permittas me damnari, quem de nihilo creasti. O bone Jesu! ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua. O dulcis Jesu! recognosce, quod tuum est, et absterge, quod alienum est. O benignissime Jesu, miserere mei, dum tempus est miserendi, ne damnes me in tempore judicandi. Quae utilitas in sanguine tuo, dum descendero in aeternam corruptionem? Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes, qui descendunt in infernum. O amantissime Jesu, o desideratissime Jesu, o mitissime Jesu! O Jesu, Jesu, Jesu, admitte me intrare in numerum electorum tuorum! O Jesu, salus in te credentium! O Jesu, solatium ad te

Digitized by Google

confugientium! O Jesu, dulcis remissio omnium peccatorum! O Jesu, fili Mariae virginis, infunde in me gratiam, sapientiam, charitatem, castitatem, humilitatem, ut possim te perfecte diligere, te laudare, te perfrui, tibi servire et in te gloriari et omnes, qui invocant nomen tuum, quod est Jesus.

Quinque amantis animae suspiria.

Jesu, mi Deus et omnia, cur unquam offendi te, qui in finem usque dilexisti me? An non et ego amem te? Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, anathema sit. *I. Corinth. 16, 22.*

Emitte, mi Jesu, lucem tuam et veritatem tuam; ipsa me deducant et adducant in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua! Ibi secure exsultabo in te Deo Jesu meo *Psalm. 42, 3.*

Salve, o imago æterni Patris, o speciosa forma prae filiis hominum, in quem desiderant Angeli prospicere! O cordis mei desiderium! Ostende mihi faciem tuam et salvus ero. *Psalm. 79, 20.*

Utinam, o bonitas infinita, amoris victima pro me facta, totus vicissim tibi in amoris victimam consecrer: faciasque (quod unice exopto) ut vere dicam: Mihi mun-

Digitized by Google

dus crucifixus est, et ego mundo. *Galat. 6, 14.*

Suavissime Jesu, aufer spiritum meum et tuum in me transfunde: tuo enim spiritu animatus exclamabo: Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus. *Gal. 2, 20.*

Litaniae sanctissimi Nominis.

Kyrie, eleison!
Christe, eleison!
Kyrie, eleison!
Jesu, audi nos!
Jesu, exaudi nos!
Pater de coelis, Deus,
Fili, redemptor mundi Deus,
Spiritus sancte Deus,
Sancta Trinitas, unus Deus,
Jesu, fili Dei vivi,
Jesu, Splendor Patris,
Jesu, Candor lucis aeternae,
Jesu, Rex gloriae,
Jesu, Sol justitiae,
Jesu, Fili Mariae Virginis,
Jesu admirabilis,
Jesu, Deus fortis,
Jesu, Pater futuri saeculi,
Jesu, magni consilii Angele,
Jesu potentissime,
Jesu patientissime,
} Miserere nobis!

Digitized by Google

Jesu obedientissime,
Jesu mitis et humilis corde,
Jesu, Amator castitatis,
Jesu, Amor noster,
Jesu, Deus pacis,
Jesu, Auctor vitae,
Jesu, Exemplar virtutum,
Jesu, Zelator animarum,
Jesu, Deus noster,
Jesu, Refugium nostrum,
Jesu, Pater pauperum,
Jesu, Thesaurus fidelium,
Jesu, bone Pastor,
Jesu, Lux vera,
Jesu, Sapientia aeterna,
Jesu, Bonitas infinita,
Jesu, Via et vita nostra,
Jesu, Gaudium Angelorum,
Jesu, Magister Apostolorum,
Jesu, Doctor Evangelistarum,
Jesu, Fortitudo Martyrum,
Jesu, Lumen Confessorum,
Jesu, Puritas Virginum,
Jesu, Corona Sanctorum omnium,
} Miserere nobis!

Propitius esto! Parce nobis, Jesu!
Propitius esto! Exaudi nos, Jesu!
Ab omni peccato! Libera nos, Jesu!
Ab ira tua, Libera nos, Jesu!
Ab insidiis diaboli, Libera nos, Jesu!
A spiritu fornicationis, Libera nos, Jesu!

Digitized by Google

A morte perpetua,
A neglectu inspirationum tuarum,
Per mysterium S. Incarnationis tuae,
Per nativitatem tuam,
Per infantiam tuam,
Per divinissimam vitam tuam,
Per labores tuos,
Per agoniam et passionem tuam,
Per crucem et derelictionem tuam,
Per languores tuos,
Per mortem et sepulturam tuam,
Per resurrectionem tuam,
Per ascensionem tuam,
Per gaudia tua,
Per gloriam tuam,

} Libera nos, Jesu!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Jesu!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Jesu!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis, Jesu!
Jesu, audi nos! Jesu, exaudi nos!

℣. Confitebimur tibi, Deus.
℟. Et invocabimus nomen tuum.

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui dixisti: Petite et accipietis, quaerite et invenietis,

Digitized by Google

pulsate et aperietur vobis, quaesumus, da nobis petentibus divinissimi tui amoris affectum, ut te toto corde, ore et opere diligamus et a tua nunquam laude cessemus. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis etc.

Deus, qui gloriosissimum nomen D. N. J. C. unigeniti Filii tui, fecisti fidelibus tuis summo suavitatis affectu amabile, et malignis spiritibus tremendum atque terribile; concede propitius, ut omnes, qui hoc nomen Jesu devote venerantur in terris, sanctae consolationis tuae dulcedinem in praesenti percipiant, et in futuro gaudium exsultationis et interminabilis jubilationis obtineant in coelis. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum etc.

Consecratio ad SS. Cor Jesu.

Dulcissime Jesu, fons amoris, pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui ineffabiles cordis tui divitias nobis miseris et indignis aperire dignatus es; ego N. in gratiarum actionem pro innumeris in me ceterosque homines collatis beneficiis, ac praesertim pro SS. Eucharistiae institutione, et ad reparandas injurias omnes, a me et ab aliis quibuscunque in hoc infiniti amoris mysterio Cordi tuo amantissimo illatas, eidem SS. Cordi tuo me

Digitized by Google

totum et omnia mea devoveo, cum omnibus bonis et meritis ex gratia tua acquisitis vel acquirendis, promittens, me divini cordis tui cultum, quantum pro mea tenuitate licuerit, propagaturum.

Insuper beatissimam Virginem Mariam peculiarem matrem mihi eligo, hujusque purissimo cordi me et omnia mea pariter trado ac devoveo, promittens me hujus piissimae matris cultum juxta ecclesiae mentem, quantum in me erit, propagaturum.

A tua ergo immensa bonitate et clementia peto suppliciter, ut hoc holocaustum in odorem suavitatis admittere digneris et, ut largitus es, ad hoc desiderandum et offerendum, sic etiam ad explendum gratiam uberem largiaris. Amen.

Piae aspirationes ad Cor Jesu.

Oh! quam bonum, quamque jucundum habitare in corde hoc! Quis illud cor tam vulneratum non diligat? Quis tam amans non redamet? *S. Bern. sermo 3. de Pass.*

Cor Jesu, cor novum crea in me et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Cor Jesu amabilissimum, qui separabit cor meum ab amore tui? Tu scis, quia amo te.

Digitized by Google

Cor Jesu mitissimum, humillimum, patientissimum, dirige cor nostrum secundum Cor tuum.

Cor Jesu, sis mihi in vita solatium, in morte viaticum, in aeternitate praemium.

Cor Jesu, flagrans amore mei, inflamma cor meum amore tui!

Litaniae de SS. Corde Jesu.

Kyrie, eleison!
Christe, eleison!
Kyrie, eleison!
Christe, audi nos!
Christe, exaudi nos!
Pater de coelis Deus,
Fili, redemptor mundi Deus,
Spiritus sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,
Cor Jesu, verbo Dei substantialiter unitum,
Cor Jesu, divinitatis sanctuarium,
Cor Jesu, sanctae Trinitatis templum,
Cor Jesu, sapientiae abyssus,
Cor Jesu, Bonitatis oceanus,
Cor Jesu, Misericordiae thronus,
Cor Jesu, Thesaurus nunquam deficiens,
Cor Jesu, De cujus plenitudine omnes nos accepimus,
} Miserere nobis!

Digitized by Google

Cor Jesu, Pax et reconciliatio nostra,
Cor Jesu, Virtutum omnium exemplar,
Cor Jesu, Infinite amans et infinite amandum,
Cor Jesu, Fons aquae salientis in vitam aeternam,
Cor Jesu, In quo sibi pater bene complacuit,
Cor Jesu, Propitiatio pro peccatis nostris,
Cor Jesu, Propter nos amaritudine repletum,
Cor Jesu, Usque ad mortem in horto tristissimum,
Cor Jesu, Opprobriis saturatum,
Cor Jesu, Amore vulneratum,
Cor Jesu, Lancea perforatum,
Cor Jesu, In sanguine exhaustum,
Cor Jesu, Attritum propter scelera nostra,
Cor Jesu, Etiam nunc ab ingratis hominibus in SS. amoris sacramento dilaceratum,
Cor Jesu, Refugium peccatorum,
Cor Jesu, Fortitudo debilium,
Cor Jesu, Consolatio afflictorum,
Cor Jesu, Perseverantia justorum,
Cor Jesu, Salus in te sperantium,

Miserere nobis!

Digitized by Google

Cor Jesu, Spes in te morientium,
Cor Jesu, Cultorum tuorum dulce praesidium,
Cor Jesu, Deliciae Sanctorum omnium,
Cor Jesu, Adjutor noster in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis,
} Miserere nobis!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis!

Christe, audi nos! Christe, exaudi nos!

Pater noster etc. Ave Maria etc.

℣. Jesu, mitis et humilis corde.
℟. Fac cor nostrum secundum cor tuum.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Concede, quæsumus. omnipotens Deus, ut, qui in sanctissimo dilecti Filii tui corde gloriantes præcipua in nos charitatis ejus beneficia recolimus, eorum pariter et actu delectemur et fructu.

Domine Jesu, qui ineffabiles cordis tui divitias dilectissimæ ecclesiæ tuæ novo

Digitized by Google

beneficio aperire dignatus es; concede, ut hujus sacratissimi cordis amori respondere, et injurias eidem afflictissimo cordi, ab ingratis hominibus illatas, dignis obsequiis compensare valeamus. Qui vivis et regnas etc.

Commemoratio cordis B. Mariae Virginis.

Ant. Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.
Lucae II, 19.

℣. Cor Mariae immaculatum.
℟. Amore Jesu, quo ardes, accende cor nostrum.

Oremus.

Clementissime Deus, qui ad peccatorum salutem miserorumque perfugium cor immaculatum Mariae divino cordi Filii ipsius Jesu Christi charitate et misericordia simillimum esse voluisti; concede, ut qui hujus dulcissimi cordis memoriam agimus, secundum Cor Jesu inveniri mereamur per eundem D. N. J. C. etc.

Oratio ad cor B. Mariae Virginis.

O cor Mariae, genitricis Dei ac matris nostrae: cor amore dignissimum, in quo

Digitized by Google

sibi SS. Trinitas bene complacuit; cor ab angelis et hominibus amandum et colendum, cor simillimum SS. Jesu cordi, cujus imaginem refers longe perfectissimam; cor Mariae, sedes clementiæ, plenum visceribus misericordiae erga nos miseros! Tu, precor, e cordibus tuorum frigus expelle; fac, ut nil deinceps cogitent, nil diligant, nil cupiant, præter unum cor Christi Jesu! Insere pectoribus nostris amorem tuarum virtutum, et in eis flammam tuae charitatis accende. Ecclesiae semper invigila eamque tuere: sis fidelibus dulce refugium, turris fortitudinis, in qua contra hostium insidias sedeant securi. Per te, o cor Mariae, accessum habeamus ad filium, per te gratias obtineamus necessarias, ad aeternam salutem. In angustiis et miseriis nos adjuva, mœstos solare, tentatos robora, in persecutionibus sis refugium nostrum et auxilium in periculis; praesertim autem in hora mortis, in novissimo vitae agone, quum infernae potestates in nos irruent ut animam rapiant; in illa terribili die et tremenda hora, a quo pendet aeternitas: tum, o Virgo clementissima, fac servos tuos bonitatem materni tui cordis sentire; esto, quaesumus, tum memor potentiae, quam tibi dedit, qui ex te natus est salvator mundi. Da nobis in ipso fonte mi-

Digitized by Google

sericordiae tutissimum refugium, ut sic aliquando tecum in coelis laudare mereamur cor sacratissimum Filii tui per omnia saecula saeculorum. Amen.

Cor divinum Jesu et cor immaculatum Mariae semper et ubique agnoscantur, laudentur, benedicantur, amentur, fideliter colantur et glorificentur. Amen.

Exercitia pietatis ad Christum patientem.

Inspice Vulnera pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis! Caput habet inclinatum ad osculandum: cor apertum ad diligendum: brachia extensa ad amplectendum: totum corpus expositum ad redimendum. Haec quanta sint, cogita: haec in statera cordis appende, ut totus tibi figatur in corde, qui totus pro te fixus fuit in cruce. *S. Augustinus.*

Digitized by Google

Oratio S. Gregorii.

O Domine Jesu Christe, adoro te in cruce pendentem, coronam spineam in capite portantem: deprecor te, ut tua crux liberet me ab Angelo percutiente. Pater noster etc. Ave Maria etc.

O Domine Jesu Christe, adoro te in cruce vulneratum, felle et aceto potatum: precor te, ut vulnera tua sint remedium animæ meæ. Pater noster et Ave Maria.

O Domine Jesu Christe, rogo te per illam amaritudinem passionis tuae, quam in hora mortis sustinuisti, maxime tunc, quando anima tua sanctissima de benedicto corpore est egressa: miserere animæ meae, in egressu suo de corpore meo et perduc eam in vitam aeternam. Pater noster etc. Ave Maria etc.

Domine Jesu Christe, adoro te in sepulchro positum, myrrha et aromatibus conditum: deprecor te, ut tua mors sit vita mea. Pater noster etc. Ave Maria.

O Domine Jesu Christe, adoro te descendentem ad inferos et tuos inde liberantem captivos: deprecor te, ut illuc nunquam me patiaris introire. Pater noster. Ave Maria etc.

Digitized by Google

O Domine Jesu Christe, adoro te a morte resurgentem sedentemque ad dexteram Patris: deprecor te, ut illuc te sequi et tibi praesentari merear. Pater noster. Ave Maria etc.

O Domine Jesu Christe, Pastor bone, justos conserva, peccatores justifica, omnibus fidelibus miserere et propitius esto mihi misero et indigno peccatori. Pater noster etc. Ave Maria etc.

Oratio.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, pone passionem, crucem et mortem tuam inter judicium tuum et animam meam, nunc et in hora mortis meae.

Largiri mihi digneris gratiam et misericordiam, vivis veniam, defunctis requiem, ecclesiae tuæ pacem, cunctisque peccatoribus vitam et gloriam sempiternam. Qui vivis et regnas etc.

Oratio S. Bernardi ad Patrem coelestem.

Cognosce, anima mea, cognosce: hic est Dominus Deus noster, Jesus Christus, Salvator noster: unigenitus Dei Filius, verus Deus, verus homo, qui solus sub sole sine macula inventus est. Et ecce!

Digitized by Google

cum sceleratis quodamodo reputatus, et quasi leprosus et novissimus virorum æstimatus, ac tanquam abortivum, quod projicitur a vulva, sic projectus est ab utero matris suae, infelicis synagogae.

Iste formosus præ filiis hominum, quam deformis factus est? Hic vulneratus propter iniquitates nostras, attritus propter scelera nostra, et factus in holocaustum suavissimi odoris in conspectu tuo, Pater æternæ gloriæ, ut averteret indignationem tuam a nobis, et ut consedere nos sibi faciat in coelestibus.

Respice, Domine S. Pater, de sanctuario tuo et de excelso cœlorum habitaculo; et intuere hanc sacrosanctam hostiam, quam tibi offert magnus Pontifex noster, sanctus Puer tuus, Dominus Jesus Christus pro peccatis fratrum suorum, et esto placabilis super multitudine malitiae nostrae. Ecce! vox sanguinis fratris nostri Jesu clamat ad te de Cruce! Respice in faciem Christi tui, qui tibi usque ad mortem obediens factus est. Nec recedant ob oculis tuis cicatrices ejus in perpetuum, ut memineris, quantam ab eo pro peccatis nostris satisfactionem acceperis.

Gratias tibi, Pater, referat omnis lingua pro superabundantia bonitatis tuae; qui unico filio cordis tui non pepercisti, sed

Digitized by Google

pro nobis omnibus illum tradidisti in mortem, ut eum, tanquam fidelem advocatum coram te in coelis haberemus. Amen. Pater noster etc.

Alia Oratio.

Clementissime Pater, aeterne Deus! pro meis pariter ac totius mundi peccatis offero tibi unicum dilectum Filium tuum in cruce pendentem; offero tibi sacratissima vulnera ejus, quae nostri causa suscepit; offero tibi passionem, dolores, angustias, pressuras, sanguinem et mortem inflammatissima illa charitate, qua in ara crucis obtulit semetipsum, me una cum illo divino servitio tuo mancipans et in sempiternum ad laudem et gloriam divinae majestatis tuae obligans et addicens. Amen.

Oratio de singulis articulis Passionis.

Deus, qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, a Judaeis reprobari, a Juda traditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annae, Caiphae, Pilati et Herodis indecenter offerri, a falsis testibus accusari, flagellis et opprobriis vexari, sputis conspui, spinis

Digitized by Google

coronari, colaphis caedi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, cruci clavis affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle et aceto potari, et lancea vulnerari: tu, Domine, per has sanctissimas poenas tuas, quas ego indignus recolo et per sanctam crucem et mortem tuam libera me a poenis inferni, et perducere digneris, quo perduxisti latronem tecum crucifixum. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Oratio ad Christum crucifixum.

Benignissime ac optime Jesu Christe! en me ad te recipio, ad te, o pie, revertor. Sed rubore suffundor et vehementer me pudet, cum tua isthæc specto vulnera, cum cerno spineam coronam, teque haec omnia mea causa perpessum cognosco. Ego siquidem, ego sum, qui isthaec tam dira inflixi vulnera; ego coronam hanc spineam in tuum sacrum caput impressi: ego te in hanc crucem adegi!

Sed oh! quanta tua est charitas, quae tua clementia et misericordia! Peccavi ego, et tu plecteris debitaeque necis pro me luis pœnam. Tuus ipsemet hostis fui, at tu per crucem tuum me efficis filium; servus fui, at tu sanguine tuo me liberum asseris. O! si

Digitized by Google

semel concesseris, ut amore tui totus flagrem, tum vero tibi, cui meipsum ac omnia mea debeo, hanc etiam vitam impendam! Ave, lignum crucis, ave, crux pretiosissima! Me totum tibi dedico in æternum. Non me movet, Domine, ad amandum te, coelum, quod mihi promisisti: nec horrendus infernus movet me, ut non offendam te; tu me moves, mi Deus; movet me, quod te videam cruci clavis affixum, et excarnificatum. Movet me, quod videam corpus tuum vulneratum. Movent me opprobria tua et mors tua. Denique movent me haec, mi Deus, et ita movent, ut, si non esset infernus ullus, tamen adhuc timerem te; et si nullum esset coelum, adhuc amarem te. Non habes, quod mihi des, pro quo te amem; quia, tametsi ea, quae spero, non sperarem, æque ac nunc te amo, te amarem.

O Deus, ego amo te,
Nec amo te, ut salves me,
Aut, quia non amantes te,
Aeterno punis igne.
Tu, tu, mi Jesu, totum me,
Amplexus es in cruce.
Tulisti clavos, lanceam,
Multamque ignominiam,
Innumeros dolores,

Digitized by Google

Sudores et angores,
Ac mortem; et haec propter me
Ac pro me peccatore.
Cur igitur non amem te,
O Jesu amantissime?
Non, ut in coelo salves me,
Aut, ne in aeternum damnes me,
Nec praemii ullius spe;
Sed sicut tu amasti me,
Sic amo et amabo te,
Solum, quia rex meus es,
Et solum, quia Deus es. Amen.

Elogium antitheticum patientis Christi.

Tristatur in horto, *Laetitia Angelorum.*
Affligitur in anima, *Refectio animarum sanctarum.*
Solatur angelus, *Solatium afflictorum.*
Traditur furori luporum, *Agnus mansuetissimus.*
Capitur, *quem coeli capere non possunt.*
Ligatur, *qui nostra solvit vincula.*
Judici praesentatur, *Judex vivorum et mortuorum.*
Negatur a Petro, *Petra ipsa Christus.*
Facies illa velatur, *in quam desiderant Angeli prospicere.*
Falso accusatur, *Veritas aeterna.*
Non respondet Verbum, *per quod Verbum facta sunt omnia.*

Digitized by Google

Indecore nudatur, *qui vestit omnia.*
Tremit, *coram quo tremunt Potestates.*
Dire flagellatur Dominus *in similitudinem servi factus.*
Ignominiose coronatur *Rex regum et dominus dominantium.*
Stultitiae insimulatur *Sapientia Patris.*
Nocens dimittitur, *Innocentia ipsa damnatur.*
Ponderi crucis succumbit, *qui tribus digitis coelum appendit.*
Crucifigitur tanquam latro, *Ipse Dei Filius.*
Moritur eheu! *Vita aeterna.*
Ut te mortalem aeternum reddat,
Moritur Deus, homo factus,
Ut te hominem deificaret.
Morere et tu
Concupiscentiis tuis, ut vivas Christo;
Mundo, ut vivas coelo;
Tibi ipsi et omnibus affectibus pravis,
Ut vivas soli Deo, pro te mortuo, in aeternum.

Obsecro te, Domine Jesu, ut passio tua sit virtus mea, qua protegar, muniar et defendar. Vulnera tua sint mihi cibus et potus, quibus pascar, inebrier et delecter. Aspersio Sanguinis tui sit omnium peccatorum meorum ablutio. Mors tua sit mihi gloria sempiterna. — In his sit

Digitized by Google

mihi refectio, exsùltatio, sanitas, studium, gaudium, desiderium corporis et animae nunc et in perpetuum. Amen.

Via Sanctae Crucis.

Oratio præparatoria.

Domine Deus meus, ego creatura tua indignissima te submisissime adoro: credo in te, spero in te, te amo super omnia, de omnibus peccatis et offensionibus meis ex toto corde doleo propter te summum bonum meum; propono deinceps, juvante gratia tua, non amplius peccare: nec modo a gravi, verum etiam a levi quocunque peccato me continere amore tui, infinito amore dignissimi. — Ad majorem gloriam tuam, in memoriam passionis tuae et in remissionem peccatorum meorum, quoad culpam et poenam, hanc tibi D. J. C. devotionem precesque offero, atque desidero lucrifacere omnes quas possum indulgentias, e quibus plenarias ad primam Stationem pro me ipso, reliquas vero omnes, praesertim quatuor plenarias pro fidelibus defunctis tibi offero, scilicet pro N. N.

Digitized by Google

aliisque spiritu et sanguine mihi proximius junctis.

Accende cor meum igne charitatis tuae, ut cum spiritus fervore hanc regiam viam S. Crucis tuae decurram et omnium exinde virtutum incrementa exemplis tuis sumere merear. Amen.

Statio I.

Christus morti crucis adjudicatur.

Antiph. Tradiderunt me in manus impiorum et inter inimicos projecerunt me.

℣. Captabant in animam justi. ℟. Et sanguinem innocentem condemnabant.

Psalmus 93.

Meditatio.

Ecce homo! Innocentia cum iniquis, Christus agnus absque macula cum sceleratis reputatus est et condemnatus! Ah, ego sum, qui peccavi, iste autem, quid mali fecit? ego inique egi, parturii injustitiam, concepi dolorem et peperi iniquitatem. Domine, miserere mihi peccatori et deduc me in justitia tua; nec intra in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Digitized by Google

℣. Per innocentiam tuam. ℟. Domine, miserere nobis.

Oremus.

O innocentissime Jesu, qui non venisti judicare mundum, sed ut mundus salvetur per te in justitia; da nobis gratiam, ut nos ipsos in hac vita judicemus, ne olim judicemur secundum iniquitates nostras, sed ut a peccatis absoluti et quaerentes ante omnia justitiam regni Dei cum justis reputemur. Amen.

Statio II.

Christo Crux imponitur.

Ant. Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Philipp. 2.

℣. Egressus es in salutem populi tui. ℟. In salutem cum Christo tuo. Habac. 3.

Meditatio.

O me infelicem peccatorem; sicut onus grave gravatae sunt super me iniquitates meæ et factus sum mihimetipsi gravis: funes peccatorum circumplexi sunt me, et iniquitates meæ supergressae sunt caput meum. Sed

Digitized by Google

tu, o Domine, dirupisti vincula mea; detestor omnia peccata mea; suscipiam amodo cum gaudio crucem meam et sequar te; jugum enim tuum suave est et onus tuum leve. Ecce, Deus, paratus sum accipere bonum et malum de manu tua: quoniam misericors Pater es et flagellas, quem diligis.

℣. Per crucem tuam. ℟. Domine, miserere nobis.

Oremus.

O patientissime Jesu, qui proposito tibi gaudio sustinuisti crucem tuam; discamus tandem a te, abnegare nosmetipsos, tollere crucem nostram et sequi te, ut per tribulationes hujus saeculi in regnum Dei intrantes te cum electis tuis laudare et superexaltare possimus. Amen.

Statio III.

Jesus primum sub cruce cadit.

Antiph. Miser factus sum et curvatus sum usquequaque; tota die contristatus ingrediebar. Psalm. 37.

Digitized by Google

℣. Opprobrium factus sum inimicis meis.

℟. Viderunt me et moverunt capita sua.

Meditatio.

Ecce jacet in terra, qui elevat omnes qui corruunt et erigit omnes elisos. Ille jacet, ad cujus conspectum coeli columnae contremiscunt ; contremuerunt omnia ossa ejus et cum caderet, non habuit sublevantem: sed quam misericors est Deus erga nos peccatores ! Ipse cadit, ut nos surgamus ; ipse nos conservat gratia sua, ne labamur in peccatum; neque patitur nos tentari supra id, quod possumus. Cave, homo, dum te existimas stare, ne cadas. induere armaturam fidei, ut possis stare contra insidias diaboli.

Oremus.

Piissime Jesu , qui venisti salvum facere , quod perierat ; confirma nos gratia tua, ne unquam labamur in peccatum, ne timeamus eos , qui occidunt corpus, sed magis illum, qui potest et corpus et animam perdere in gehennam: imo perdamus animas nostras in hoc mundo, ut in vitam

Digitized by Google

aeternam eas custodiamus, corpora vero nostra hostiam viventem, sanctam et Deo placentem exhibeamus. Amen.

Statio IV.

B. Virgo Maria obviat Christo.

Antiph. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor, sicut dolor meus. Thren. 1.

℣. Caligaverunt oculi mei a fletu meo. ℟. Quoniam elongata est a me, quae consolabatur me.

Meditatio.

Cui comparabo te, o Maria! vel cui assimilabo te, filia Jerusalem? cui exaequabo te et consolabo te, Virgo filia Sion? Magna est velut mare contritio tua: facta es quasi vidua, Domina gentium: submersum est cor in temetipsam: quoniam amaritudine plena es. O Maria, tecum sum in tribulatione, tibi compatitur anima mea et quidem juste, cum sim causa tui doloris. Intercede pro me, ut secundum multitudinem dolorum in corde et corpore meo consolationes Domini laetificent animam meam. Tu vero, o Domine, salvum fac filium ancillae tuae.

Digitized by Google

Oremus.

O Jesu, fili Mariae Virginis! Per gladium doloris, quo cor dulcissimae matris tuae in Passione transfixum est, tange cor nostrum et da lacrymas oculis, ut peccata nostra defleamus: et sicut Passiones tuae abundant in nobis, ita et per te abundet consolatio nostra. Amen.

Statio V.

Simon Cyrenaeus angariatur, ut tollat crucem post Jesum.

Antiph. Considerabam ad dexteram et videbam et non erat, qui cognosceret me.

℣. Amici mei dereliquerunt me. ℟. Et praevaluerunt insidiantes mihi.

Meditatio.

Sustinuit Jesus, qui simul contristaretur et non fuit: et qui consolaretur et non invenit: quoniam tribulatio proxima est et non est, qui adjuvet. Itane vero, o Domine, ego te deseram? Tu infirmaris et ego non infirmer? Nonne, si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra? Ecce, mi Deus, paratum

Digitized by Google

cor meum; transfunde totam passionem tuam in me; oportet enim te passo in carne et nos eadem cogitatione armari: quid? quod momentaneum et leve tribulationis nostrae aeternum gloriae pondus operatur in coelis.

℣. Per desolationem tuam. ℟. Domine, miserere nobis.

Oremus.

O pauperrime Jesu, qui torcular calcasti solus nec de gentibus habuisti virum tecum: noli nos derelinquere in adversitatibus nostris, sed fac, quæsumus, ut alter alterius onera portemus in mutua consolatione atque omnia, quae nobis fieri volumus ab hominibus, et nos illis faciamus, supportantes invicem in charitate. Amen.

Statio VI.

Veronica Christo sudarium porrigit.

Antiph. Vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum, et quasi absconditus vultus ejus. Isaiæ 53.

℣. Illuminet vultum suum super nos. ℟. Et misereatur nostri. Psalm. 66.

Digitized by Google

Meditatio.

Respice, o homo! in faciem Christi tui: ejus vultus, in quem desiderant angeli prospicere, deturpatus est, et speciosus forma prae filiis hominum factus est quasi leprosus, despectus et novissimus virorum: non amplius est species ei neque decor: intuitus sum et non erat homo; erat enim immutata facies ex vulnere. Tu, o Domine, ostende nobis faciem tuam et salvi erimus.

℣. Per sudorem tuum. ℟. Domine, miserere nobis.

Oremus.

O pulcherrime Jesu, qui hominem ad imaginem tuam formasti, ne avertas faciem tuam a nobis, sed largire propitius, ut in te unum oculos nostros convertamus, et relictum a te nobis exemplum intuentes tuaque sequentes vestigia tandem in visione tua semper mereamur gaudere. Amen.

Statio VII.

Jesus secundo cadit sub porta judiciaria.

Antiph. Tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. Ephes. 4.

Digitized by Google

℣. Pertulit peccata nostra solus super lignum in corpore suo. I. Petr. 2. ℟. Et sicut agnus coram tondente se obmutuit. Is. 53.

Meditatio.

O immensa vis amoris! Deus cadit sub cruce, ut me relevet peccatorem infixum in limo profundi et depressum ab inimicis meis: o infinita bonitas redemptoris mei! Ecce, qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt et ceciderunt, quia Dominus confringet eos; nec poterunt stare et cadent subtus pedes meos: ceciderunt omnes, qui operantur iniquitatem; expulsi sunt, nec potuerunt stare; quoniam tu, Domine, adjuvisti me in virtute brachii tui; sis Domine benedictus; misericordias tuas in aeternum cantabo.

℣. Per dolorem tuum. ℟. Domine, miserere nobis.

Oremus.

O mitissime Jesu, qui sanas contritos corde et non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat; adduc nos benignitate tua ad pœnitentiam, et da nobis vires resurgendi a peccatis: fac ut casti-

Digitized by Google

gemus corpora nostra et in servitutem redigamus, atque deinceps dignos poenitentiae fructus faciamus. Amen.

Statio VIII.

Mulieres Christum deplorant.

Antiph. Jerusalem, Jerusalem! deduc quasi torrentem lacrymas per diem et noctem et non taceat pupilla oculi tui.

℣. Defecerunt præ lacrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea. ℟. Cum deficeret parvulus et lactens in plateis oppidi. Thren. 2.

Meditatio.

Me miserum! flebam super eum, qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea; non autem recordata est peccatorum et malorum, quae ipsa fecit. O quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrymarum, ut plorem die noctuque? quoniam peccatum contra me est semper; effundam sicut aquam cor meum ante conspectum Domini, et lacrymis meis stratum meum rigabo; quia major est iniquitas mea, quam ut veniam merear. Sed quare tristis es, anima mea, et quare

Digitized by Google

conturbas me? Nonne miserator et misericors Dominus longanimis es et multum misericors? quomodo miseretur Pater filiorum, ita misertus est Dominus timentibus se; quoniam ipse cognovit figmentum nostrum: eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis: miserationes Domini super omnia opera ejus.

℣. Per lacrymas tuas. ℟. Domine, miserere nobis.

Oremus.

O misericordissime Jesu, qui posuisti animam tuam pro ovibus tuis: Deus patiens et multae misericordiae, fac nos mites et mansuetos, ut non tantum proximum propter te sicut nosmetipsos amemus, sed diligamus etiam inimicos nostros et benefaciamus his, qui oderunt nos, in amore et charitate tua. Amen.

Statio IX.

Jesus tertio cadit ad montem Calvariae.

Antiph. Incurvatus sum, ut non possim attollere caput meum, et non est respiratio mihi. Orat. Manass.

Digitized by Google

℣. Cor meum turbatum est, dereliquit me virtus mea. ℟. Et lumen oculorum meorum et ipsum non est mecum. Ps. 37.

Meditatio.

Obstupescite cœli super hoc: ecce Deus fortis et potens in praelio factus est vir dolorum et sciens infirmitatem: abscondita est fortitudo ejus; a planta pedis usque ad verticem capitis sanitas non est in eo, sed vulnus, plaga et livor tumens: vero languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit, qui nullum peccatum fecit; sed ego peccavi. O mi Jesu, premunt te mala et peccata mea; quoniam vir sanguinum es: in sanguine tuo redemisti nos et livore tuo sanati sumus. O charitas nimia, qua dilexisti nos! Quis mihi tribuat, ut moriar pro te, o Dominus meus et Deus meus! Scio enim, si commortui sumus, quod et convivemus.

℣. Per angustias tuas. ℟. Domine, miserere nobis.

Oremus.

O amabilissime Jesu, qui non delectaris in perditione vivorum: confirma nos gratia tua, ut non cadamus in infirmi-

Digitized by Google

tatibus nostris, sed ut multum fructum afferamus in poenitentia et tandem cum sanctis tuis per angustam portam intremus in gloriam sempiternam. Amen.

Statio X.

Jesus denudatur, felle et aceto potatur.

Antiph. Tota die verecundia mea contra me est et confusio faciei meae cooperuit me. Psalm. 43.

℣. Dederunt in escam meam fel. ℟. Et in siti potaverunt me aceto. Psalm. 21.

Meditatio.

Vide, o anima! Deus nudus, qui vestivit omnia, factus est opprobrium hominum et abjectio plebis. Egone miser peccator superbiam in bysso et purpura? ego creatorem meum nudum aspiciam et non habentem, ubi reponat caput suum? Super hoc plangam, o Domine! vadam spoliatus et nudus: egressus sum nudus de utero matris meae et nudus revertar; quid est, quod desideravi in hoc mundo et quid volui super terram? Quando veniam et apparebo ante faciem Dei mei? quoniam ipse solus est, in quem desiderat anima mea

Digitized by Google

prospicere. Quis me separabit a charitate Christi? Tribulatio an angustia? an fames, an nuditas? Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos: tuus sum, Domine, salvum me fac.

℣. Per sitim tuam. ℟. Domine, miserere nobis.

Oremus.

O humillime Jesu! qui dilexisti nos et in sanguine tuo lavasti a peccatis nostris; concede, ut induamur vestimentis albis, ne appareat confusio nuditatis nostrae; et sicut exhibuimus membra nostra servire immunditiae et iniquitati, sic ea exhibeamus arma justitiae, servire ad sanctificationem. Amen.

Statio XI.

Jesus cruci affigitur.

Antiphona. Vinea mea electa! ego te plantavi; quomodo conversa es in amaritudinem, ut me crucifigeres?

℣. Foderunt manus meas et pedes meos. ℟. Dinumeraverunt omnia ossa mea. Psalm. 21.

Digitized by Google

Meditatio.

Jesus sua extendit brachia in cruce et nos invitat in amplexum suum. Extendam igitur manus meas ad Dominum meum, in fide enim vivo filii Dei, qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me. Quidni ergo eamus et nos et moriamur cum illo? quoniam non solum alligari, sed et mori paratus sum pro nomine D. N. J. C. cui adhaerere mihi bonum est. Ah cupio dissolvi et esse cum Christo, ut, sive vivo, Christo vivam, sive morior, Christo moriar. Tu Domine, ne discedas a me peccatore.

℣. Per sacratissima quinque Vulnera tua. ℟. Domine, miserere nobis.

Oremus.

O! benignissime Jesu, qui ex amore erga nos brachia tua in cruce expandisti; confige manus et pedes nostros ac totam passionem tuam transforma in nos, ut te Jesum cruxifixum scire ante omnia studeamus, et crucis mortificationem jugiter in corpore nostro circumferamus; neque gloriari nobis libeat, nisi in cruce Salvatoris nostri. Amen.

Digitized by Google

Statio XII.

Jesus moritur in cruce.

Antiph. Postquam elevatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.

℣. In petra exaltavit me. ℟. Et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos. Psalm. 26.

Meditatio.

Audi anima et exhorresce! positus est Christus in cruce in ruinam multorum; nam eligent magis mortem, quam vitam peccatores, rursum crucifigentes sibimet-ipsis filium Dei. Sed nolo ego esse de cognatione hac pessima: doleo, Domine, medullitus de peccatis meis; tu redemisti me in sanguine tuo et factus es mihi in salutem. Peccavi, fateor, in coelum et coram te. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum et in peccatis concepit me mater mea; sed habemus advocatum apud Patrem, Jesum Christum: hic est mediator inter Deum et hominem: per hunc habemus accessum ad Patrem. Miserere mei Deus, ne perdas cum impiis animam meam: ecce; exaltatus es propter me; jam me trahe post te.

℣. Per sanctam mortem tuam. ℟. Domine miserere nobis.

Digitized by Google

Oremus.

O Jesu, vitis vera, cujus nos palmites sumus, sit nobis amore tui mundus crucifixus et nos mundo, ut tanquam vera membra tua crucifigentes carnem nostram, cum vitiis et concupiscentiis, atque peccatis mortui, justitiae vivamus, et sicut in Adam omnes mortui sumus, sic in te vivificemur. Amen.

Statio XIII.

Corpus Jesu de Cruce depositum in sinu matris collocatur.

Antiph. Sic Deus dilexit mundum, ut filium unigenitum daret.

℣. Proprio filio suo non pepercit Deus, ℟. Sed pro omnibus nobis tradidit illum.

Meditatio.

Salve S. Crux, in quo totum redemptionis nostrae opus consummatum est; benedictum lignum, per quod fit justitia; in te mortua est vita J. C., et quidem pro omnibus mortuus est. Convertimini igitur peccatores, convertimini ad illum in toto

Digitized by Google

corde vestro; non enim venit filius hominis animas perdere, sed salvare. Audite, quid dicat Dominus: nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua et vivat. Vivamus igitur, sed non nobis; quia nostri non sumus: empti enim sumus pretio magno; sed illi vivamus, qui pro nobis mortuus est: nobis vivere Christus sit, et mori lucrum.

℣. Per depositionem tuam a cruce.
℟. Domine miserere nobis.

Oremus.

O dulcissime Jesu, qui depositus a Cruce in sinu matris recubuisti: solve nobis vincula, quibus peccatis affixi sumus, ut deponamus veterem hominem cum vitiis et concupiscentiis, et novum induamus in justitia; neque secundum carnem vivamus, sed spiritu facta carnis mortificemus, neve conformemur huic saeculo, sed reformemur in novitate sensus nostri. Amen.

Statio XIV.

Corpus Jesu sepelitur.

Antiph. Nisi granum frumenti cadens

Digitized by Google

in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, fructum multum affert. Joann. 12.

℣. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum.

℟. Et dispertiam ei plurimos. Jsaiæ 53.

Meditatio.

Jesus depositus a Cruce involutus est in sindone munda et tumulatus est in monumento novo. Quid hoc? Non vult pontifex ille sanctus, innocens, impollutus et segregatus a peccatoribus, non vult esse in loco impuro et sordido. Audi, o anima, quid dicat tibi Jesus: Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum! Præbe mihi cor tuum, ut requiescam in eo, quoniam deliciae meae sunt esse cum filiis hominum. Domine, cor immundatum habeo et maculatum; non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed sanctum unicum dic verbum et sanabitur anima mea; spero in te, Domine; non confundar in aeternum. Ecce paratum cor meum, Deus, paratum cor meum; descende, ut fiat salus domui meæ. Eja anima mea, qui creavit te, vult

Digitized by Google

habitare in tabernaculo tuo. Dilectus meus mihi et ego illi. Miserationum Domini recordabor.

℣. Per sepulturam tuam. ℟. Domine, miserere nobis.

Oremus.

Sanctissime Jesu, qui in virtute Sacramenti mirabilis habitaculum in cordibus nostris tibi præparare dignatus es, concede propitius, ut accepturi SS. Corpus tuum, non demus locum ultra diabolo, nec regnet peccatum mortale in corpore nostro, sed ut vitiis mortui ac consepulti tecum in novitate vitæ ambulemus. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Oblatio.

Suscipe, SS. Trinitas, hoc obsequium servitutis nostræ, quod ad divinae majestatis tuae gloriam et recognitionem redemptionis nostræ, in satisfactionem peccatorum nostrorum, ad impetrandam defunctis requiem, vivis gratiam, omnibus gloriam tibi offerimus in unione meritorum D. N. J. C., Bmæ V. Mariæ et omnium sanctorum. Quidquid digne egimus,

Digitized by Google

propitius respice; quidquid negligenter actum est, clementer indulge. Per eundem C. D. N. pro nobis crucifixum. Amen.

Affectus S. Aloysii.

O Christe, pendes arbore,
Amore vulneratus,
Pendes amoris victima!
Quid, Christe! mi rependam?
Lates minuto maximus
Sub panis involucro
Mihique te das ferculum;
Quid, Christe, mi rependam?
Me sic amantis gloriæ
Vitamque sanguinemque
Si millies impendero,
Proh quantulum rependam?
Hæc sola posthaec vita sit,
Sudor, laborque solus
Amare te pro viribus
Morique sic amando.
Et te, Maria! Virginem
Cum filio, parentem
Dum spiro, testor sidera
Te diligam, Maria;
Sed mater, ut clientulum
Juves periclitantem,
Per Filii te vulnera
Obtestor et cruorem.

Digitized by Google

Salutationes ad quinque Vulnera Christi.

Ad dextri pedis Vulnus.

Salve, vulnus gratiosum,
Christi fluens sanguine,
Mihi da cor fructuosum,
Vacans omni crimine,
Simplex, humile, zelosum
Imo gaudens ordine. Pater noster.

Ad sinistri pedis Vulnus.

Salve, stillans pedis vena,
Hominum solatio:
Per te fiat in me plena
Carnis castigatio:
Casto tibi mens serena
Jungat se consortio. Pater noster.

Ad manus dextræ Vulnus.

Salve, rubens præ cruore
Jesu plaga dexteræ:
O fac tua cum fervore
Jussa quaeram propere,
Geram corde, promam ore,
Præstem promptus opere. Pater noster.

Digitized by Google

Ad manus sinistræ Vulnus.

Salve, lævæ vulnus Christi
Sanguine purpureum,
Fac me quovis casu tristi
Mitem et pacificum:
Cunctis, quos tu redemisti,
Lenem ac benevolum. Pater noster.

Ad cordis Vulnus.

Salve, scissum cum tremore
Jesu cor dulcissimum:
Nobis patens ex amore,
Præsta cordis gaudium:
Det virtutum cum splendore
Charitas incendium. Pater noster.

Oratio.

Rogo te, Domine Jesu, per illa salutifera vulnera tua, quae passus es in cruce pro salute nostra, e quibus emanavit ille pretiosus sanguis quo sumus redempti: vulnera hanc animam meam peccatricem, pro qua etiam mori dignatus es: vulnera eam igneo et potentissimo telo tuæ nimiae charitatis. Confige cor meum jaculo tui amoris, ut dicat tibi anima mea: Charitate tua vulnerata sum; ita, ut ex ipso vulnere amoris tui uberrime fluant lacrymæ

Digitized by Google

die ac nocte. Percute, Domine, percute hanc durissimam mentem meam pia et valida cuspide dilectionis tuæ et altius ad intima penetra potenti virtute. Qui vivis et regnas etc.

Petitio benedictionis.

Amantissime Jesu, qui expansis in cruce brachiis ad amplexum me invitas et inclinato capite osculum mihi offers: en accurro gratiamque oblatam admitto. Sed non dimittam te, nisi benedixeris mihi, sicuti famulae tuae S. Hedwigi te in Cruce veneranti manu dextera clavo exempta [cruce illam in modum bene precantis signando] benedixisti.

Horæ canonicæ de Passione Domini.

Ad Matutinum. Domine Jesu, per amorem, quo tuos in finem dilexisti, per sanguineum sudorem, quem in horto fudisti; per injurias et dolores, quos a tuo discipulo traditus et venditus, ab impiis Judaeis ligatus et distractus sustinuisti, absolve meorum vincula peccatorum, et liga hanc animam meam fortissimis charitatis tuæ funiculis, qui disolvi non possunt. Qui vivis etc.

Digitized by Google

Ad Primam. Domine Jesu, qui hora diei prima Pilato præsentatus, Judex coelestis judici terreno, et reus falsorum criminum ab impiis pontificibus factus fuisti; succurre nobis miseris peccatoribus in judicio, ut non aeternis suppliciis cum impiis condemnemur, sed tuis fidelibus adjungi in coelestibus mereamur. Qui vivis etc.

Ad Tertiam. Domine Jesu, qui hora diei tertia flagellis caesus et spinis coronatus fuisti; tribue nobis famulis tuis, ut corpora nostra, voluntaria castigatione macerantes, sub capite spinoso digna censeri membra valeamus. Qui vivis etc.

Ad Sextam. Domine Jesu, qui hora diei sexta transfossis manibus et pedibus in crucis ligno pependisti iisdemque clavis damnationis nostræ chirographum in patibulo confixisti; concede animæ meae, ut liberatus a servitute peccati has sanctissimas plagas tuas, tanquam insignia liberationis meæ, semper feram in medio cordis mei. Qui vivis etc.

Ad Nonam. Domine Jesu, qui hora diei nona, consummatis omnibus, inclinato capite, Deo Patri spiritum reddidisti atque

Digitized by Google

in mortuum hominum genus spiraculum vitæ inspirasti; concede mihi peccatori, ut qui totum me tibi debeo pro me facto, totum me iterum debeam pro refecto, nec jam mihi, sed tibi, qui pro me mortuus es, in perpetuum vivam. Qui vivis etc.

Ad Vesperas. Domine Jesu Christe, qui hora vespertina e cruce deponi mortuus in SSae Genitricis tuæ brachia voluisti; concede propitius, ut et crucem meam, quam mihi largiri pro tua bonitate volueris, nunquam in vita derelinquam, et in morte ex ea depositus per clementissimæ matris tuæ manus ante te merear præsentari. Qui vivis etc.

Ad Completorium. Domine Jesu, qui hora completorii in sepulchro quievisti et a matre tua mœstissima et ab aliis mulieribus planctus fuisti! Fac nos, quaesumus, tuam sanctissimam passionem veris lacrymis plangere, nec unquam ea, per quae iterum crucifigaris, admittere. Qui vivis etc.

Digitized by Google

Litaniæ Vitæ et Passionis D. N. J. C.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison,
Christe audi nos, Christe exaudi nos,
Pater de coelis Deus, *)
Fili, redemptor mundi Deus,
Spiritus sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,
Jesu, Verbum Patris,
„ Splendor paternae gloriæ,
„ Figura substantiæ patris,
„ Candor lucis æternæ,
„ Speculum sine macula,
„ Per quem facta sunt omnia,
„ Verbo virtutis tuæ omnia portans,
„ Magni consilii Angele,
„ Princeps pacis,
„ Sanctis patribus promisse,
„ Cunctis gentibus desiderate,
„ In mundum a Patre misse,
„ De Spiritu sancto concepte,
„ Verbum caro factum,
„ Nobiscum Deus,
„ In formam servi facte,
„ De Maria Virgine nate,

*) Miserere nobis!

Digitized by Google

Jesu, Pannis involute, *)
„ In præsepio reclinate,
„ Ubere virgineo lactate,
„ A pastoribus in præsepio cognite,
„ Per circumcisionem sub lege facte,
„ A Magis adorate,
„ In templo præsentate,
„ In ulnis justi Simeonis excepte,
„ In Ægyptum delate,
„ Ab Herode ad necem quaesite,
„ In Nazareth nutrite,
„ In templo invente,
„ Parentibus subdite,
„ A Joanne baptizate,
„ In deserto tentate,
„ Cum hominibus conversate,
„ Pauperibus discipulis sociate,
„ Lux mundi,
„ Doctor justitiæ,
„ Via, veritas et vita,
„ Exemplar virtutum omnium,
„ Omnibus languentibus misericorditer opitulate,
„ A tuis furiosus reputate,
„ Gratis odio habite,
„ Contumeliis vexate,
„ Lapidibus impetite,
„ In monte coram patribus transfigurate,
„ Rex mitis Jerusalem ingresse,

*) Miserere nobis!

Digitized by Google

Jesu, Pia compassione lacrymate, *)
„ Triginta argenteis appretiate,
„ Ad discipulorum pedes inclinate,
„ Panis verus nos confirmans,
„ Potus verus nos laetificans,
„ In Oratione prostrate,
„ In agonia sanguineo sudore perfuse,
„ Ab angelo confortate,
„ Osculo a Juda tradite,
„ A ministris ligate,
„ Annae et Caiphae praesentate,
„ Alapa a ministro percusse,
„ A falsis testibus accusate,
„ Reus mortis judicate,
„ In faciem conspute,
„ Oculis velate,
„ Colaphis caese,
„ Cujus corpus percutientibus et genae vellentibus datae,
„ A Petro ter negate,
„ Vinctus Pilato tradite,
„ Ab Herode et ejus exercitu sprete et illuse, veste alba indute,
„ Barabbae postposite,
„ Flagellis caese,
„ Propter scelera nostra attrite,
„ Quasi leprosus reputate,
„ Veste purpurea indute,
„ Spinis coronate,
„ Arundine percusse,

*) Miserere nobis!

Digitized by Google

Jesu, A Judaeis ad crucem postulate, *)
„ Morte turpissima condemnate,
„ Voluntati Judæorum tradite,
„ Crucis pondere gravate,
„ Tanquam ovis ad occisionem ducte,
„ Vestibus exute,
„ Clavis in cruce confixe,
„ Propter iniquitates nostras vulnerate,
„ Pro inimicis Patrem deprecate,
„ Cum iniquis reputate,
„ Opprobrium hostium facte,
„ A praetereuntibus blasphemate,
„ A Judaeis derise,
„ A militibus in Cruce illuse,
„ A latrone convitiis lacessite,
„ Opprobriis saturate,
„ Latroni pœnitenti paradisum pollicite,
„ Qui Joannem matri tuæ in filium tradidisti,
„ Te a Patre derelictum attestate,
„ Felle et aceto in siti potate,
„ Consummata omnia de te scripta testate,
„ Qui spiritum in manus Patris commendasti,
„ A Patre pro tua reverentia semper exaudite,

*) Miserere nobis!

Digitized by Google

Jesu, Usque ad mortem crucis obediens facte, *)
„ Lancea transfixe,
„ De cujus latere exivit sanguis et aqua,
„ Cujus livore sanati sumus,
„ Propitiatio pro nobis facte,
„ De cruce deposite,
„ In sindone munda involute,
„ In monumento novo tumulate,
„ Vinctos tuos de lacu inferni praedate,
„ Ab inferis victor reverse,
„ Post resurrectionem cum hominibus conversate,
„ In coelum elevate,
„ In Patris dextera collocate,
„ Gloria et honore coronate,
„ Rex regum et dominus dominantium,
„ Noster apud Patrem advocate,
„ Spiritum Paraclitum discipulis elargite,
„ Matrem tuam super choros angelorum exaltans,
„ Vivos et mortuos judicature,
„ Reprobos in ignem aeternum missure,
„ Paratum electis regnum collature,
„ Ubertate domus tuae sanctos omnes inebrians,

*) Miserere nobis!

Digitized by Google

Jesu, Pater futuri saeculi,*)
„ Jubilus angelorum,
„ Rex Patriarcharum,
„ Inspirator Prophetarum,
„ Magister Apostolorum,
„ Doctor Evangelistarum,
„ Fortitudo Martyrum,
„ Lumen Confessorum,
„ Sponse Virginum,
„ Corona sanctorum omnium,
*) Miserere nobis!

Propitius esto, Parce nobis Jesu,
Propitius esto, Exaudi nos Jesu,
Ab omni malo, Libera nos Jesu,
Ab ira tua, *)
A subitanea et improvisa morte,
Ab insidiis diaboli,
Ab ira, odio et mala voluntate,
A spiritu fornicationis,
A fulgure et tempestate,
A morte perpetua,
Per mysterium Sanctae incarnationis tuae,
Per adventum tuum,
„ nativitatem tuam,
„ circumcisionem tuam,
„ impositionem sanctissimi Nominis tui,
„ baptismum et s. jejunium tuum,
„ labores et vigilias tuas,
„ agoniam et sanguineum sudorem tuum,
*) Libera nos Jesu!

Digitized by Google

Per alapas et flagella tua,*)
„ spineam coronam tuam,
„ crucem et passionem tuam,
„ sitim, lacrymas et nuditatem tuam,
„ mortem et sepulturam tuam,
„ sanctam resurrectionem tuam,
„ admirabilem ascensionem tuam,
„ missionem Spiritus sancti Paracliti,
*) Libera nos Jesu!

In die judicii,
Peccatores, Te rogamus, audi nos,
Ut nobis parcas,*)
„ ad veram poenitentiam nos perducere digneris,
„ ecclesiam tuam sanctam regere et conservare digneris,
„ dominũ apostolicum et omnes ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris,
„ mentes nostras ad coelestia desideria erigas,
„ animas nostras fratrum, propinquorum et benefactorum nostrorum ab aeterna damnatione eripias,
„ omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris,
*) Te rogamus, audi nos!

Fili Dei, Te rogamus, audi nos,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Jesu,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Jesu,

Digitized by Google

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis Jesu,
Jesu Christe audi nos, Jesu Christe exaudi nos,
Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.
Pater noster.

Oratio.

Obsecro te Domine Jesu Christe, ut Passio tua sit virtus mea, qua muniar, protegar et defendar; Vulnera tua sint mihi cibus et potus, quibus inebrier et delecter, aspersio sanguinis tui sit omnium peccatorum mearum ablutio.

Mors tua sit mihi gloria sempiterna; in his sit mihi refectio, exsultatio, sanitas, studium, gaudium, desiderium corporis et animae nunc et in perpetuum. Amen.

Devotio erga B. V. Mariam.

S. Bernardus in homilia IV. *super missus est*: Ne avertas oculos tuos a fulgure hujus sideris [Mariae], si non vis obrui procellis; si insurgunt venti tentationum, respice stellam, voca Mariam et ipsam sequens, non devias; ipsam rogans, non

Digitized by Google

desperas; ipsam cogitans, non erras; ipsa tenente, non corruis; ipsa protegente, non metuis; ipsa duce, non fatigaris; ipsa propitia, pervenis: et sic in temetipso experiris, quam merito dictum sit: **Et nomen virginis Maria.**

Oratio S. Bernardi ad B. Virginem Mariam.

O dulcissima Virgo Maria! per te accessum habeamus ad filium, et per te nos suscipiet, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostrae corruptionis, et humilitas tua Deo tam grata nostrae veniam impetret vanitati et superbiae. Copiosa charitas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, et foecunditas tua gloriosa foecunditatem nobis conferat meritorum. O Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra! tuo filio nos commenda, tuo filio nos reconcilia, tuo filio nos repraesenta. Fac o benedicta, per gratiam, quam meruisti, per misericordiam, quam peperisti, ut, qui te mediante dignatus est fieri particeps infirmitatis et miseriae nostrae, te quoque intercedente participes nos faciat beatitudinis et gloriae tuae Jesus Christus filius tuus Dominus noster, qui est super omnia benedictus in saecula.

Digitized by Google

Alia Oratio S. Bernardi ad eandem.

Memorare, o piissima virgo Maria, non esse auditum a saeculo, quemquem ad tua currentem praesidia, tua implorantem auxilia aut tua petentem suffragia a te esse derelictum. Ego tali animatus fiducia ad te, Virgo Virginum, Maria mater Jesu Christi, confugio, ad te venio, ad te curro; coram te gemens peccator et tremens assisto. Noli, o Domina mundi, noli, aeterna Verbi mater, verba mea despicere, sed audi propitia et exaudi me miserum, in hac lacrymarum valle clamantem; adsis mihi, obsecro, in omnibus necessitatibus meis, nunc et semper, maxime in hora mortis meae. O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria.

℣. Conceptio tua, Dei genitrix Virgo,

℟. Gaudium annuntiavit universo mundo.

Oremus.

Deus, qui per immaculatam B. V. Mariae conceptionem dignum filio tuo habitaculum praeparasti: quaesumus, ut qui ex morte ejusdem filii tui praevisa eam ab omni labe praeservasti, ita nos quoque mundos ejus intercessione ad te pervenire concedas. Per eundem C. D. N. Amen.

Digitized by Google

Oratio.

O felix Maria, tu mater Dei, tu mater es rei: tu mater judicis, tu mater exulis; cum sis mater utriusque filii, ne sinas filium reum damnare per filium Dei, sed materna pietate procura, ut filius reus reconcilietur filio, qui est Deus; et per filium judicem, recipe filium exulem in patriam. O felix Maria.

Oratio ad B. V. Mariam.

Pro subsidio in hora mortis.

O mater benignissima; quae morientem in cruce filium coram vidisti et verba novissima, heu, quam tristis exaudisti: per omnem illum cordis tui dolorem et amaritudinem, qua tota velut absinthio inebriata fuisti, per gladium illum, qui pertransivit animam tuam, rogo, ut hoc durum et lapideum cor meum tuis apud Deum potentissimis precibus et meritis emollias et convertas in carneum, ut patienti dilectissimo filio tuo, Domino meo, uti par est, compati valeam. Idemque ille gladius, qui tam acerbe vulneravit animam tuam, penetret quoque cordis mei viscera. O mater dolorosa, per ultimum illud filii morientis alloquium, quo te compellebat

Digitized by Google

de cruce, discipulum tibi commendans, supplices oramus, ut nos in filios tuos recipias. Non enim in solum Joannem eo tempore tecum cruci astantem putamus dirigi verba filii; sed unico discipulo cominus monstrato, omnes fideles et dilectos per omnes secuturas generationes sub unius exemplo et praesentia credimus designatos. Quo modo et illud vicissim dictum discipulo: Ecce mater tua, non ad illum unicum solumve discipulum credimus pertinere, sed ad universos nos, quicunque ad filium tuum per fidem pertinemus; tametsi illi, quoad corporale obsequium, peculiarem quandam tui curam commissam agnoscimus.

Cum itaque, vi quasi ultimae voluntatis suae, nos tibi in filios reliquerit moriens dilectus filius tuus, ac vicissim te nobis dederit in matrem, testamento huic nequaquam te contravenire posse aut velle, persuasum habemus; utpote, quod morte testatoris mox secuta confirmatum fuit. Huic ergo testamento, o mater piissima! pareamus utrique: tu nos in filios suscipe: nos te omni cultu et obsequio complectemur ut matrem.

Tu nobis matris impende curam; nostrum erit filialem tibi rependere venerationem. Et quanquam nunc in coelis

Digitized by Google

longe supra nos exaltata gaudeas et regnes cum filio: materno tamen nos exules filios tuos affectu fovere non desinas: sic enim est voluntas filii, qui se ipsum nobis et nascens per te donavit; et moriens nos tibi unicae matri suae commendavit. Ipse quidem nobis frater, imo pater, sacerdos quoque et hostia fieri dignatus est; et jam in coelo ad dexteram Patris residens, advocatus noster esse non desinit. Tu pariter nobis te matrem misericordiae et patronam exhibere ne cessa: eo etiam magis, quo propius assistis filio, qui nil matri negare potest supplici; ipsi, inquam fonti misericordiae proxime conjuncta; quem olim miseris Adae filiis de coelo produxisti.

Eja ergo advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte, et Jesum benedictum fructum ventris tui nobis modo propitium redde et post hoc exilium ostende. O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria! Amen.

Oratio S. Petri Damiani

ad B. V. Mariam et S. Joannem Evangelistam pro dono finalis perseverantiae.

O intemerata et in aeternum benedicta, singularis atque incomparabilis Virgo Dei

Digitized by Google

genitrix Maria: gratissimum Dei templum, Spiritus sancti sacrarium, janua regni coelorum, per quam post Deum totus vivit orbis terrarum: inclina mater misericordiae aures tuae bonitatis indignis supplicationibus meis et esto mihi miserrimo peccatori pia et propitia in omnibus auxiliatrix.

O Joannes, beatissime Christi familiaris et amice, qui ab eodem D. N. J. C. virgo es electus, et inter ceteros magis dilectus atque in mysteriis coelestibus ultra omnes imbutus: Apostolus enim et Evangelista factus es praeclarissimus: te etiam invoco cum Maria matre ejusdem D. N. J. C. Salvatoris, ut mihi opem tuam cum ipsa conferre digneris.

O duae gemmae coelestes, Maria et Joannes, o duo luminaria divinitus ante Deum lucentia, vestris radiis scelerum meorum effugate nubilas; vos enim estis illi duo, in quibus Unigenitus Dei filius ob sincerissimae virginitatis meritum dilectionis suae confirmavit privilegium, in cruce pendens uni vestrum ita dicens: Ecce filius tuus! et deinde ad alium: Ecce mater tua.

In hujus ergo tam sacratissimi amoris dulcedine, qua tunc ore dominico velut mater et filius conjuncti estis, vobis duobus ego miserrimus peccator commendo

Digitized by Google

hodie corpus et animam meam, ut in omnibus horis atque momentis, interius atque exterius firmi custodes et pii apud Dominum intercessores mihi existere dignemini. Poscito mihi, quaeso, corporis et animae salutem. Agite, quaeso, agite vestris gloriosis precibus, ut cor meum invisere et inhabitare dignetur Spiritus almus, gratiarum largitor optimus, qui me a cunctis vitiorum sordibus expurget, virtutibus sacris illustret, atque exornet: in dilectione Dei et proximi mei stare et perseverare faciat et post hujus vitae cursum ad gaudia ducat electorum suorum benignissimus Paraclitus. Qui cum Deo Patre et filio vivit et regnat in saecula. Amen.

Oratio ad B. V. Mariam pro felici morte.

O Maria, mater Dei, rogo te per pretiosissimam mortem tuam, per actum intensissimi amoris Dei, quem in discessu tuo exercuisti, per omnem misericordiam et pietatem qua ulli unquam hominum in necessitatibus suis adfuisti, memento mei nunc: et in extremis sit tibi cura discessus mei, ut tuo munitus praesidio intrare merear in beatam aeternitatem. Fac, ut experiar, revera te esse matrem pulchrae dilectionis et timoris, agnitionis et sanctae

Digitized by Google

spei. In te post Jesum est omnis gratia viae et veritatis, in te est omnis spes vitae et virtutis; per te accepi, quidquid habeo; per te quoque illud omne restituo. In manus et per manus tuas commendo offeroque Deo meo spiritum meum, ut tuum meumque Jesum videam, eundemque amem in aeternum. O Maria, rogo te per Jesum: o Jesu rogo te per Mariam: o Jesu et Maria, rogo vos per sanctissimam et individuam Trinitatem. O sanctissima Trinitas, Dominus meus, Deus meus, rogo te per dilectionem, qua hominem theandricum Jesum, qua Mariam matrem ejus complecteris; miserere mei, ut beate et ad majorem nominis tui gloriam moriar et amem te in aeternum.

Oratio ad B. V. pro dono castitatis.

O Maria virgo et mater admirabilis, castarum mentium custos et nutrix fidelissima: obsecro te per gratiam, quam genuisti, lumbos nostros baltheo castitatis praecinge, ut in numerum pugilum tuorum recepti, tuoque sub virgineo labaro adversus mundum, daemonem et carnem strenue certantes in terris, sponsum tuum coelestem, agnum immaculatum, Christum Jesum sequi ubique mereamur in coelis. Amen.

Digitized by Google

Oratio.

O Domina mea, o mater mea! tibi me totum offero, atque ut me tibi probem devotum, consecro tibi hodie oculos meos, aures meas, os meum, cor meum, plane me totum. Quoniam itaque tuus sum, o bona mater, serva me, defende me ut rem et possessionem tuam.

Oratio

aereae laminae
inscripta in parte aversa imaginis

Mariae Dominae nostrae in Basilica Liberiana Romae.

Ave augustissima regina pacis, sanctissima mater Dei, per sacratissimum Cor Jesu filii tui principis pacis, fac ut quiescat ira ipsius et regnet super nos in pace. Memorare o piissima Virgo Maria non esse auditum a saeculo, quemquam tua petentem suffragia esse derelictum. Ego tali animatus confidentia ad te venio. Noli, mater Verbi, verba mea despicere, sed audi propitia et exaudi, o clemens, o pia, o dulcis virgo Maria!

Digitized by Google

Aspiratio in quavis tentatione.

O Domina mea, o mater mea; memento, me esse tuum; serva me et defende me, ut rem et possessionem tuam.

Oratio ad B. V. in tentatione contra castitatem.

Per sanctam Virginitatem et immaculatam Conceptionem tuam, purissima virgo, emunda cor et carnem meam. In nomine Patris † et Filii † et Spiritus sancti † Amen.

Hymnus ad B. V. Mariam.

Salve Virgo stirps beata
Fructu cujus instaurata
Vitae sunt primordia.
In salutem praeparata,
Desperatis spes optata,
Aegris dans remedia.
Juga legis quos premebant,
Ad te vota suspendebant,
Planctus et suspiria.
In tormentis post te flebant,
Te lamentis requirebant
Captivorum agmina.

Digitized by Google

Templum facta majestatis
Pulsos primae dignitatis
Ducis ad palatia.
Paradisus voluptatis,
Tu virore sanctitatis
Perfudisti saecula.
Verbo foeta, partu laeta,
Nobis datum profers natum,
Genitricum gloria.
Omni laude digna gaude
Stella maris, sol, quem paris,
Mundum replet gratia.
Stella fulgens, felix ortus,
Cujus ductu vitae portus
Patet pulsis patria.
Mortis jam deletur pactum
Cadit hostis jus confractum,
Ditis lugent atria.
Per te salvi te collaudent,
Per te detur, quod non audent
Preces et mens conscia.
En nos culpae moles premit;
Sed tu Nato, quos redemit
Offer et concilia. Amen.

Commendatio ad B. Virginem.

O Domina mea sancta Maria, me in tuam benedictam fidem ac singularem custodiam et in sinum misericordiae tuae hodie et quotidie, et in hora exitus mei,

Digitized by Google

animam meam et corpus meum tibi commendo; omnes angustias meas, vitam et finem vitae meae tibi committo; ut per tuam sanctissimam intercessionem et per tua merita omnia mea dirigantur et disponantur opera secundum tuam tuique filii voluntatem.

Oratio B. Nicolai de Flüe ad B. Virginem.

Salve o purissima et prorsus immaculata mater Maria, mater gratiae, mater Christi, Dei omnipotentis, et Dei pro nobis facti hominis. Obsecro te intemerata nobilissimaque Virgo, fidelis et dignissima mater Maria; ut pro nobis intercedere digneris apud dilectum filium tuum D. N. J. C. judicem nostrum, quod thesaurum nobis aperiat divinae suae misericordiae in hac lacrymarum valle, quod in sua gratia et in suo amore nos conservet, nec ex hac misera vita emigrare nos faciat, quin prius valida omologesi reconciliati, sacratissimo D. N. J. C. corpore refecti simus. Rogo te, Mater laudanda et plena gratiae, quod intercedas apud dilectum Filium tuum D. N., ut non solum viventium, sed fidelium quoque Defunctorum misereatur, ipsosque liberatos e flammis purgantibus inducat in Paradisi regnum. Amen.

Digitized by Google

Pulchrae orationes ad B. V. inveniuntur in Paradiso animae Merlohorstii, in Enchiridio precat. piarum de S. Veraepeo; in Coelesti Palmeto G. Nacateni et in eleganti salemitano opere, cui titulus: Panis coeli fractus parvulis; et in multis aliis et recentioribus.

Orationes ad S. Josephum.

Oratio devota ad S. Josephum.

Ave Joseph, SS. Trinitatis serve humillime.
Ave Joseph, praeelecte Dei Patris sanctissime.
Ave Joseph, Mariae Virginis sponse amabilissime.
Ave Joseph, Jesu Christi Domini nostri nutritie Pater dignissime.
Ave Joseph, Angelorum vitae imitator castissime.
Ave Joseph, Prophetarum reginae vir fidelissime.
Ave Joseph, Patriarcharum princeps gloriosissime.
Ave Joseph, Evangelistarum Dominae tutor vigilantissime.

Digitized by Google

Ave Joseph, Apostolorum beatitudini associate meritissime.

Ave Joseph, confrater Martyrum validissime.

Ave Joseph, Confessorum princeps selectissime.

Ave Joseph, decus honorque Virginum jucundissime.

Ave Joseph, cum sponsa Maria, consolator vivorum et mortuorum, tu cum illa mecum sis in omnibus tentationibus, tribulationibus, necessitatibus, angustiis et infirmitatibus meis et maxime in hora mortis meae ne me deferas, et impetra mihi omnium delictorum meorum veniam et coelestis patriae fruitionem. Amen.

℣. Ora pro nobis beatissime Joseph!

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Sanctissimae Genitricis tuae Sponsi, quaesumus Domine, meritis adjuvemur, ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis et regnas etc.

Digitized by Google

Oratio II. ad S. Josephum.

O S. Joseph, qui tamquam pater et manuductor Christum Jesum in pueritia et juventute per omnes peregrinationis humanae vias fidelissime deduxisti: mihi, obsecro, in vitae meae peregrinatione tanquam comes et ductor assiste; nec unquam permitte, me a via mandatorum Dei declinare: sis in adversis praesidium, in aerumnis solatium; donec tandem ad terram viventium perveniam, ubi tecum et S. sponsa tua Maria omnibusque Sanctis in aeternum in Deo Jesu meo exsultem. Amen.

Oratio III. ad S. Josephum
pro felici morte impetranda.

O S. Joseph, qui in suavissimo Jesu clientis tui et dulcissimae sponsae tuae Mariae complexu ex hac vita emigrasti: succurre mihi o S. Pater, cum Jesu et Maria, tunc potissimum, quando mors vitae meae imponet finem; illudque (quod unice peto) solatium mihi impetra, ut in iisdem sanctissimis Jesu et Mariae brachiis exspirem. In manus vestras vivens et moriens commendo spiritum meum, Jesu, Maria, Joseph.

Digitized by Google

Oratio IV.,
qua S. Joseph in patronum eligitur.

S. Joseph, redemptoris mei Christi Jesu fidelis oeconome ac nutritie, castissimae Virginis Deiparae sponse! Ego N. N. te hodie in advocatum et patronum meum singularem eligo, firmiterque statuo, me nunquam te derelicturum, nec permissurum, ut a quocumque ex meis subditis aliquid contra tuum honorem agatur. A te igitur peto suppliciter, ut me in clientem perpetuum suscipere, in rebus dubiis instruere, in adversis solari, in hora denique mortis defendere ac protegere digneris. Amen.

Hymnus de S. Josepho.

Salvepater Salvatoris, salve custos redemptoris, Joseph ter amabilis:
Salve sponse matris Dei, salve hospes Jesu mei, Joseph ter mirabilis.
Dulces cunae, dulces panni, dulces dies, dulces anni; dum nutristi Dominum:
O quam fuit admiranda, tua vita veneranda, habens Dei filium.
Jesum oculis vidisti et in brachiis tulisti, o suavis felicitas!

Digitized by Google

Genis genas admovisti, oscula dans accepisti, o felix suavitas!
Modo Deum appellasti, modo regem nominasti, inter mille gaudia:
Modo patrem adorandum, modo natum adamandum; inter mille basia.
Jesum brachiis tenere, atque totum possidere; o quantae divitiae!
Cum Maria conversari, Dei natum amplexari; o quantae deliciae!
Quis est homo, qui amare atque Jesulum portare nollet suis brachiis?
Nullus est qui non ambiret et qui cunas non adiret pro tantis deliciis.
O mi Joseph plus amande et pro cunctis honorande; o flos pudicitiae!
Tibi tanta sors est data, quanta nulli est collata, ab auctore gratiae.
O felicem et beatum, custodire cui datum, tuo sub praesidio,
Et qui meruit habere te patronum et gaudere tuo patrocinio.
Per Mariae tuae matris preces et Josephi patris, Jesu tu nos adjuva,
Ut possimus te videre et aeternum possidere in coelesti patria. Amen.

℣. Justus germinabit sicut lilium.

℟. Et florebit in aeternum ante Dominum.

Digitized by Google

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui B. Joseph, justum, filium David, B. V. Mariae sponsum providisti, et filio tuo Jesu Christo nutritium elegisti; da, quaesumus, ut ejus precibus et meritis tranquilla pace laetemur et ad perpetuae visionis tuae consolationem perducamur. Per eundem C. D. N. Amen.

Orationes ad SS. Angelos.

Pia Consideratio S. Bernardi in Ps. *Qui habitat.*

Mira dignatio et vere magna dilectio charitatis . . . summa majestas mandavit angelis, et angelis suis mandavit de te. Tu quis es? Quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam reputas eum? Quasi vero non sit homo putredo et filius hominis vermis.

Sed quid putas? mandavit de te, ut custodiant te. Quantam tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, affere devotionem, conferre fiduciam; reverentiam pro

Digitized by Google

praesentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia. Caute ambula, ut videlicet cui adsunt angeli, sicut eis mandatum est, in omnibus viis tuis. In quovis diversorio, in quovis angulo Angelo tuo reverentiam habe. Tu ne audeas illo praesente, quod vidente me non auderes.

Psalmus ex variis Psalmis.

Laudate Dominum de coelis: laudate eum in excelsis: laudate eum omnes sancti angeli ejus: laudate eum omnes virtutes ejus.

Benedicite Dominum omnes angeli ejus: potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus.

Benedicite Domino omnes virtutes ejus: ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.

Benedic anima mea Domino: et noli oblivisci omnes retributiones ejus.

Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia et miserationibus.

Quoniam angelis suis mandavit de te: ut custodiant te in omnibus viis tuis.

Digitized by Google

In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.
Super aspidem et basiliscum ambulabis: et conculcabis leonem et draconem.
Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum: et eripiet eos. Gloria Patri.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus.

℟. Adorabo ad templum sanctum tuum; et confitebor nomini tuo.

Oremus.

Deus, qui miro ordine Angelorum ministeria hominumque dispensas: concede propitius, ut a quibus tibi ministrantibus in coelo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur. Per Dominum etc.

℣. Angelis suis mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

Oratio ad S. Angelum Custodem.

O amantissime angele Dei, custos animae meae; gratias tibi ago pro omnibus beneficiis, quae mihi in corpore et anima unquam exhibuisti. Laudo et glorifico te,

Digitized by Google

quod mihi misero tam fideliter assistere, et contra omnes hostium insultus me tueri hucusque dignatus sis. Benedicta sit illa hora, qua mihi in custodiam datus et in defensorem ac patronum deputatus es; benedicta sit tua in me charitas, omnisque tua sollicitudo, qua salutem meam promovere non cessas. In recompensationem omnium obsequiorum mihi ab in cunabulis exhibitorum offero tibi dignissimum, nobilissimumque Cor Jesu Christi, sicut est superabundans omni beatitudine; rogans, ut mihi ignoscas, quod toties sanctis tuis inspirationibus renitendo te charissimum tutorem meum contristaverim: propono firmiter deinceps, praesertim hodie, tibi obedire, Deoque meo fideliter servire. Amen.

II. Oratio ad S. Angelum Custodem.

Obsecro te angelice spiritus, custos ac tutor meus fidelis, ut me custodiae ac protectioni tuae ex divina bonitate commissum in viam pacis, prosperitatis et salutis hodie semperque dirigas atque ab omni maligno spiritu et gravi tentatione defendas. Nosti enim dulcissime custos, quia conditus sum ad Dei ipsius imaginem; redemptus quoque pretio tam

Digitized by Google

magno, id est, Christi sanguine, de potestate satanae; tibi vero Dei providentia in curam et tutelam traditus. Et quorsum haec omnia, nisi, ut non perderet hostis invidia, quem tanta circumdat Dei bonitas et clementia?

Assiste tu ergo mihi fideli custodia, ne frustrentur in me tanta divinae bonitatis insignia. Rogo te charissime angele, per amorem clementissimi Dei, quo ceteris angelis reprobis de fastigio felicitatis suae per superbiam corruentibus, tu una cum bonis in gratia et gloria servatus es; precor, inquam, ut, et ego te favente et juvante, sentiam efficax Dei auxilium, quo server a lapsu et periculis, in gratia vero bonisque operibus et Dei creatoris mei cultu et amore constans permaneam; donec ad visionem ejus in coelesti patria perveniam, eumque una tecum et sanctis omnibus laudem per omnia saecula. Amen.

O angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna, hodie (vel hac nocte) illumina, custodi, rege et guberna.

III. Oratio ad S. Angelum Tutelarem.

O fidelissime comes a Deo tutelae meae assignate, protector et defensor

Digitized by Google

meus, nunquam recedens a latere meo, quas tibi gratias referam pro fide, amore innumerisque in me collatis beneficiis? Tu dormienti advigilas; moestum solaris, dejectum erigis: imminentia pericula avertis, futura doces cavere, a peccatis abstrahis, ad bonum impellis, lapsum ad poenitentiam hortaris Deoque concilias; jam dudum fortasse in infernum detrusus fuissem, nisi tuis precibus divinam a me iram avertisses: ne, precor, me unquam deseras; in adversis solare; in prosperis contine; in periculis tuere; in tentationibus me adjuva, ne iis unquam succumbam. Preces et gemitus meos, omniaque pia opera divino conspectui offer, atque effice, ut in gratia ex hac perveniam ad vitam aeternam. Amen.

Oratio Ecclesiae ad SS. Angelos custodes.

Deus, qui ineffabili providentia SS. angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris: largire supplicibus tuis et eorum semper protectione defendi, et aeterna societate gaudere. Per D. N. J. Ch. filium tuum, qui etc.

Digitized by Google

Oratio ad S. Archangelum Michaelem.

O coelestis militiae princeps S. Michael, qui superbum luciferum cum asseclis suis in gehennae barathrum deturbasti. O ecclesiae defensor ac protector! o animarum ex hac vita migrantium praeses! Succurre animae meae in agone constitutae, quam tibi nunc enixe commendo. Tu eam contra omnes hostiles incursus protege; tu hinc proficiscentis patrocinium suscipe, et contra omnes daemonum insidias defensam, ad paradisi gaudia admitte, ubi cum omnibus angelis Deum aeternis laudibus exaltem.

Commendatio ad SS. Patronos.

O sancti Patroni mei, mihi singulariter electi et dilecti! commendo me vobis ex toto corde, per amorem D. N. J. Ch. et rogo vos per singularem illam et ineffabilem Dei omnipotentis bonitatem et misericordiam, qua vos ab aeterno sibi elegit amicos et gloriae ac regni sui praedestinavit haeredes. Obsecro vos quoque per copiosam illam et efficacem Dei gratiam, qua vos in via, velut vasa misericordiae, proemuniit et praeparavit ad gloriam.

Digitized by Google

Vos enim etsi in hac valle miseriae et fragili carne constituti attamen induti virtute de coelo adversus omnes hostes vestros stetistis immobiles; nec ullis mundi insidiis aut carnis illecebris, aut daemonis artibus a charitate Christi Jesu potuistis separari, sed illi in finem et mortem usque constanter adhaesistis, ideoque velut invicti pugiles, nunc cum Christo duce vestro, regnatis et triumphatis in gloria. Congaudeo et congratulor ex animo gloriae et felicitati vestrae, Deumque laudo, qui vos ita dilexit et evexit, o ss. patroni mei; sed interim suspirat et anhelat ad vos gemens ac tremens anima mea inter tot hostes et salutis discrimina, rogans vos per divinae misericordiae viscera et suprema illa, quibus nunc in coelis fruimini, gaudia; ut mei clientis vestri memores, apud Altissimum tanquam patroni fideles obtineatis, mihi efficacem Dei gratiam, qua et ego sequar vestigia vestra et fortiter hostibus meis, mundo, carni ac daemoni resistam: nec ullis unquam ipsorum insidiis viribusque succumbam; sed Christo salvatori meo in mortem usque constanter adhaeream et sic vitam hanc mortalem instituam, ut nunc vobis in gratia, et tunc conjungar in gloria, et Deum una vobiscum laudem per omnia saecula. Amen.

Digitized by Google

O sancte N., qui in baptismatis fonte mihi in patronum datus es; in te singularem auxilii spem colloco. Dirige, obsecro, pedes meos in viam virtutis; ut ad vitae tuae exemplar digne vocationi meae ambulem. Doce et guberna me in periculis tum animae, tum corporis; praesertim vero in extremo mortis articulo succurre et adjuva, ut tecum et cum Sanctis partem aliquam aeternae gloriae obtinere merear in coelis. Per D. N. J. Ch. filium tuum etc.

Commendatio et Oblatio

ad SS. tres Magos et reges, quorum corpora asservantur Coloniae Agrippinae.

O SS. Magi, Reges inclyti, gentium primitiae, patroni magnifici! rogo vos per amorem D. N. J. Ch. quo vos reges ita dilexit et allexit rex regum, ut desertis sedibus vestris et spretis longinquae viae periculis et incommodis, veneritis ad visitandum et adorandum coeli terraeque regem in Bethlehem natum. Rogo vos per virtutem gratiae supernae, qua vos miseri-

Digitized by Google

corditer praeventi, recens natum mundo Salvatorem tam ardenter quaesivistis, et inventum tam reverenter adorastis; et elusis impii Herodis insidiis in regionem vestram rediistis. Rogo vos per eximias illas virtutes, fidem, religionem et charitatem vestram, quae tunc in vobis non stella tantum oculis, sed magis ipso justitiae sole recens ortu, mentes vestras illuminante, mirabiliter effulserunt. Vos enim, quamvis parvulum infantem, sine ullo apparatu regio in vili praesepio inter jumenta jacentem et vagientem videritis, attamen ut Deum supremae majestatis forti fide agnovistis, et ut regem coeli terraeque mysticis vestris muneribus honorastis et ut Deum et creatorem vestrum, humiliter in terram procidentes, adorastis. Rogo inquam vos per has virtutes vestras et per amorem et humanitatem, qua vos et munera vestra suscepit Salvator, dum parvulus natus est nobis; ut et me suscipiatis in tutelam vestram et obtineatis mihi tria a Christo munera pretiosa: fidem vivam, spem firmam et ardentem charitatem.

Obtinete mihi quoque tres virtutes summe necessarias, virtutem purae castitatis, sincerae humilitatis et verae pietatis: ut his velut donis a Christo libera-

Digitized by Google

liter ego praeventus, vicissim tanto promptius et gratius offeram illi quantulacumque dona et bona mea; id est, thus devotae orationis; myrrham mortificationis et aurum charitatis atque bonae operationis. Ad majorem ejus gloriam, qui est rex saeculorum immortalis. Amen.

Ad discipulum, quem Jesus diligebat, S. Joannem Apostolum.

Discipule Jesu dilecte, a pectore Christi protecte, sub cruce in fratrem electe, Mariae in natum evecte. Qui omnes tyranni furores, et horridos Pathmi rigores, pro Domino exul, vicisti; qui coeli arcana vidisti, et Agnum in throno plaudentem, signacula septem solventem, ut panderet orbi ventura, et bonis et malis futura. Da, quaeso, nos ita te sequi, ut, quando in judicis aequi personam mutabit se Agnus, sis omnibus nobis benignus. Amen.

Antiph. Iste est Joannes qui supra pectus Domini in coena recubuit; beatus apostolus, cui revelata sunt secreta coelestia.

℣. Hic est discipulus.

℟. Quem diligebat Jesus.

Digitized by Google

Oremus.

Pectoris illius delicias et divinissimi cordis dulcedinem, supra quod felicissime recubuisti S. Joannes, ad nos quoque famulos tuos feliciter extende, ut abjectis mundi illecebris in puro Christi amore quiescamus. Per eundem D. N. J. Ch. Amen.

Ad quatuordecim Sanctos, Auxiliatores dictos.

Omnipotens sempiterne et mitissime Deus, qui electos sanctos tuos Georgium, Blasium, Erasmum, Pantaleonem, Vitum, Christophorum, Dionysium, Cyriacum, Achatium, Eustachium, Ægidium, Margaritam, Barbaram et Catharinam specialibus privilegiis prae cunctis aliis decorasti, ut omnes qui in necessitatibus suis eorum implorant auxilium, secundum tuae promissionis gratiam, petitionis suae salutarem consequantur effectum: da nobis quaesumus, nostrorum veniam peccatorum, et intercedentibus eorum meritis ab omnibus adversitatibus nos libera et deprecationes nostras benignus exaudi. Per D. N. J. Ch. filium tuum, qui etc.

Digitized by Google

Preces pro fidelibus Defunctis.

Miseremini mei, miseremini mei, vos saltem amici mei, quia manus Domini tetigit me. Job 19.

Officium minus pro Defunctis.

O vos fideles animae in Christo defunctorum, sed merito prohibitae ab aditu coelorum: quam velim vobis dexteram opemque praesentare, ut hinc ad coeli gloriam possitis evolare. O magne Pater, Domine misericordiarum! Facturas tuas respice, sed immemor irarum: poenas sunt quidem meritae, te tamen non negarunt: hinc locus sit clementiae; ignosce, quod peccarunt!

O Jesu clementissime, o optime Salvator, tuo redemptis sanguine sis mitis liberator: indulge te amantibus tuam benignitatem poenamque deprecantibus ostende bonitatem.

O consolator optime! o dulcis Paraclite! Hos tu desertos respice et indigos

Digitized by Google

quiete; in aestu hoc temperiem veraecue pacis bona, et post laborem requiem aeternam iis dona.

O dulcis mater gratiae, solatrix afflictorum, vim cohibe justitiae, rigorem tormentorum; flammam voracem tempera et mitiga dolores: incendium refrigera et fini hos angores.

Vos tutelares genii, quorum sunt hi clientes, quantum vestri subsidii sunt ipsi indigentes: piorum desideria et vestrum excitate, optata refrigeria clientibus curate.

Vos omnes quoque coelites in regno triumphantes, solamini hos milites in flamma hac purgante: vestri in terris socii cum fuerint laborum, nunc et beati otii mors vocat et bonorum.

Antiph. Illuminare his, qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes eorum in viam pacis.

℣. Si iniquitates observaveris, Domine.

℟. Domine, quis sustinebit?

Oremus.

Fidelium Deus omnium conditor et redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum

Digitized by Google

tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis etc.

℣. Requiem aeternam dona eis, Domine.

℟. Et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

O fons misericordiae summaeque bonitatis; prosint piorum lacrymae hoc igne cruciatis: locum tuae justitiae agnoscimus infernum; laudes tuae clementiae hi cantent in aeternum.

℣. Requiem aeternam etc. *ut supra.*

Litaniae pro fidelibus Defunctis.

Kyrie eleison, Kyrie eleison, Christe eleison, Christe audi nos, Christe exaudi nos.

Pater de coelis Deus, Miserere omnium fidelium Defunctorum!

Fili redemptor mundi Deus, Miserere omnium fidelium Defunctorum!

Spiritus sancte Deus, Miserere omnium fidelium Defunctorum!

Sancta Trinitas, unus Deus, Miserere omnium fidelium Defunctorum!

Digitized by Google

Sancta Maria,
Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo virginum,
Sancte Michael,
} Ora pro fidelibus Defunctis.

Omnes ss. Angeli et Archangeli, Orate pro fidelibus Defunctis!

Omnes ss. beatorum Spiritum ordines, Orate pro fidelibus Defunctis!

S. Joannes Baptista, ora pro fidelibus Defunctis!

Omnes ss. Patriarchae et Prophetae, orate pro fidelibus Defunctis!

S. Petre,
S. Paule,
S. Joannes,
} Ora pro fidelibus Defunctis!

Omnes ss. Apostoli et Evangelistae, orate pro fidelibus Defunctis!

S. Stephane,
S. Laurenti,
} Ora pro fidelibus Defunctis!

Omnes ss. Martyres, orate pro fidelibus Defunctis!

S. Gregori,
S. Ambrosi,
S. Augustine,
S. Hieronyme,
S. Nicola Tolentine,
} Ora pro fidelibus Defunctis!

Omnes ss. Pontifices et Confessores,
„ „ Doctores,
„ „ Sacerdotes et Levitae,
„ „ Monachi et Eremitae,
} Orate pro fid. Defunctis!

Digitized by Google

S. Maria Magdalena,
S. Catharina,
S. Barbara, } Ora pro fidelibus Defunctis!

Omnes ss. virgines et viduae, Orate pro fidelibus Defunctis!

Omnes Sancti et Sanctae Dei, Orate pro fidelibus Defunctis!

Propitius esto, Parce eis, Domine!
" " Exaudi eos!

Ab omni malo, Libera eos, Domine!

Ab ira tua,
A rigore justitiae tuae,
A potestate diaboli,
A rodente verme conscientiae,
A diuturna tristitia,
A crudelibus flammis,
Ab intolerabili frigore,
Ab horrendis tenebris,
A terribili planctu et ululatu,
Per admirabilem conceptionem tuam,
Per sanctam nativitatem tuam,
Per dulcissimum nomen tuum,
Per baptismum et s. jejunium tuum,
Per profundissimam humilitatem tuam,
" promptam obedientiam tuam,
" infinitum amorem tuum,
" angores et molestias tuas,
" sanguineum sudorem tuum,
" captivitatem tuam,
" flagellationem tuam,
} Libera eos, Domine!

Digitized by Google

Per coronationem tuam,
„ bajulationem crucis tuae,
„ amaram mortem tuam,
„ ss. vulnera tua,
„ crucem et acerbissimam passionem tuam,
„ s. resurrectionem tuam,
„ admirabilem ascensionem tuam,
„ adventum Spiritus S. Paracliti,
In die judicii,
Peccatores, Te rogamus audi nos.

Libera eos, Domine!

Qui Mariam absolvisti et latronem exaudisti,
Qui salvandos salvas gratis,
Qui claves habes mortis et inferni,
Ut parentes, propinquos et benefactores nostros a poenis purgatorii eripere digneris,
Ut omnes fideles defunctos a poena damni et sensus liberare digneris,
Ut illorum, quorum specialis in terris memoria non habetur, misereri digneris,
Ut eis omnibus parcere et indulgere digneris,
Ut desideria ipsorum adimplere digneris,
Ut in electorum consortium eos recipere digneris,
Rex tremendae majestatis,
Fili Dei,

Te rogamus, audi nos!

Digitized by Google

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, dona eis requiem.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, dona eis requiem.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, dona eis requiem sempiternam.
Christe audi nos, Christe exaudi nos.
Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster.

℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animas eorum.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus etc.

Oremus.

Deus, cujus unigeniti filii Passione cunctorum fit remissio delictorum: miserere animabus omnium, qui crediderunt et speraverunt in eum, ut a cunctis reatibus absoluti tecum sine fine laetentur. Per eundem Christum D. etc.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

Oratio pro Defunctis.

Mitissime Deus, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis: refrigera, quaeso, animas, quas creasti; redime de purgatorii flammis, quas pretioso sanguine

Digitized by Google

filii tui redemisti; ignosce, quod vel propria fragilitate, vel diabolica fraude deceptae peccaverunt in te Deum suum: Si enim iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit? etenim (quod vel cogitatu horrendum est) inciderunt in manus tuas, Dei viventis, justi judicis, severi vindicis: sed scio cor tuum, Domine, scio cor tuum; misereris omnium, quae fecisti; misereris super desolatione populi tui; nam opera manuum tuarum sunt, et ad imaginem et ad similitudinem tuam creatae: scio, quod ipse liberari eas desideras: sola justitia est, quae misericordiae tuae cohibet manus: debitorum exigit illa solutionem. Ecce! exhibeo pretium passionis Filii tui, per quem tribuisti totius mundi relaxari delicta.

Exsurge igitur, Domine Deus meus! vide afflictionem populi tui et descende, libera eum: quiescat ira tua a populo tuo: descende, condescende in miserationibus et ne contineas in ira tua misericordias tuas. Usquequo oblivisceris ejus? usquequo exaltabitur inimicus tuus super sponsas filii tui? Domine usquequo? Ecce Domine! patiuntur non modo ipsae, sed et gloria regni tui, donec eduxeris eas de ignito carcere, ut cum Sanctis et electis laudent te, te adorent, et confiteantur nomini tuo; quoniam bonum est in conspectu Sancto-

Digitized by Google

rum tuorum. Exaudi, Domine, placare, attende et fac; ne moreris propter temetipsum Deus meus: miserere secundum magnam misericordiam tuam, et secundum multitudinem miserationum tuarum laetifica animas servorum tuorum, et pauperum tuorum ne obliviscaris in finem. Inclina Deus meus et audi! aperi oculos tuos et vide desolationem eorum; quia nomen tuum et passio Filii tui invocata est super eos: neque enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Sed tu Domine, usquequo? Usquequo differes misereri, Pater misericordiarum? usquequo non ostendis servis tuis bona, quae ardentissime desiderant videre in terra viventium? usquequo abscondis vultum tuum ab eis, vultum desiderabilem, et non manifestas gloriam magnificentiae regni tui, in quod toto naturae et gratiae pondere feruntur, ut laudent nomen tuum gloriosum et exaltent miserationes tuas super omnia opera tua, per omnia saecula saeculorum conclamantes et cum universa militia coelestis exercitus dicentes: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum: pleni sunt coeli et terra majestate ejus; et iterum: Confitemini Domino, quoniam bonus; quo-

Digitized by Google

niam in saeculum misericordia ejus et ineffabilis bonitatis ejus non est finis.

Alia Oratio pro Defunctis ex Missa St. Jacobi Apostoli.

Memento Domine Deus noster spirituum et universae carnis, quorum memoriam agimus et quorum non agimus: orthodoxorum ac recte de fide sentientium, ab Abel justo usque ad hodiernum diem. Fac eos requiescere in regione viventium, in regno tuo, in deliciis paradisi, in sinu Abrahae, Jsaac et Jacob, ss. patrum nostrorum, unde exulat dolor, tristitia et gemitus, ubi praesidet lumen vultus tui et perpetuo refulget. Nostrae vero vitae fines, Christe, fac acceptabiles et a peccatis puros, ac in pace dirige, colligens nos sub pedes electorum tuorum, quando voles et ut voles, duntaxat sine infamia et offensionibus. Per Filium tuum unigenitum Dominum Deum ac Salvatorem nostrum Jesum Christum. Ipse enim solus est, qui absque peccato apparuit super terram.

Oratio ex libro veterum Orationum Græcorum.

Memento Domine patrum et fratrum nostrorum, qui in spe resurrectionis aeter-

Digitized by Google

nae vitae dormitionem acceperunt, et omnium qui in fide pietateque vita functi sunt et remitte ipsis, quidquid scienter vel ignoranter opere, sermone vel mente deliquerunt. Ut habitare eos facias in locis fulgidis, in locis virentibus, in locis refrigerii, unde aufugit omnis dolor, moeror et gemitus, ubi contemplatio vultus tui laetificat omnes sanctos tuos a saeculo. Largire ipsis et nobis regnum tuum et participationem innumerabilium et aeternorum bonorum et interminate tuae beataeque vitae fruitionem. Tu es enim vita, resurrectio et requies defunctis servis tuis, Christe Deus noster. Et tibi gloriam impendimus cum aeterno Patre et sanctissimo bonoque vivificante Spiritu tuo, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Alia Oratio pro Defunctis.

Fidelium Deus, Conditor ac Redemptor omnium, gratiam tuam imploramus pro famulis et famulabus tuis hic et ubique in Christo quiescentibus et praesertim nullam apud vivos memoriam retinentibus, ut quas poenas pro suis peccatis gravissimas in altero saeculo dependunt, eas ineffabili tua miseratione condones, veramque et exoptatam illis quietem tribuas,

Digitized by Google

ne regno tuo et salute sua diutius careant; sed cito redemptionis suae in coelesti patria participes fiant. P. J. C. D. N. Amen.

Oratio pro obtinenda felici Morte.

O Deus meus et Dominus meus! cui ab aeterno placuit me incertum mortis meae, temporis, loci, ac modi vivere, adoro suavissimas tuae providentiae dispositiones, quibus haec omnia circa me voluisti pro tota aeternitate ordinare. Ignorans igitur, quae tunc corporis animaeque dispositio sit futura, amodo idipsum facio, quod tunc cuperem habere factum, humillime te deprecor, ut accepta, rata et grata habere velis vota et desideria mea, quae coram divina tua majestate nunc elicio et intime protestor.

Atque ita gratias ago tibi maximas Deus meus et Dominus meus, ex nunc et ex illo postremo vitae meae momento, in quo forte loquela et rationis usu privatus non potero amplius loqui aut pios mentis affectus ad te elevare: tibi, inquam, gratias ago: primo, quod me de

Digitized by Google

nihilo produxeris potens me in massa possibilitatis relinquere. Secundo, quod me feceris nasci in ista mundi aetate et tempore religionis christianae, cum potuisses fecisse, ut nascerer in uno saeculo et in partibus infidelium. Tertio, quod me regeneraveris per baptismum, potens me relinquere mori in utero matris meae, sicut aliis pluribus contigit.

Adoro te, o principium vitae meae secundum naturam! O principium meae regenerationis per gratiam! O finis ultimus animae meae et mea interminabilis felicitas in coelis. Tu es prima veritas et ego credo indubitanter, quidquid dixisti: tu es suprema fidelitas et ego spero incessanter, quod promisisti: tu illuminasti me purissimo tuo lumine: tu me sanctissima praevenisti tua gratia; tu me tenerrimis tuis tetigisti instinctibus; tu mihi praeparasti maxima tua sacramenta; tu me cibasti sacro corpore J. Ch. unigeniti filii tui, Salvatoris mei, atque tam frequenter mihi contulisti gratias et dona Spiritus sancti! O quantus amor! quanta beneficia, quantae dignationes! quantae gratiae! quantae misericordiae huic pauperi animae a tua bonitate collatae! huc usque tamen pro tot bonis et donis illi praestitis, et quorum tu solus numerum scis et pre-

Digitized by Google

tium, nihil tibi aliud per totum vitae tempus rependi, quam impietates, ingratitudines, iniquitates, imo et crimina, quae superant numerum capillorum meorum et momenta dierum meorum! Sed, o mi Domine! quo major est mihi pudor, te offendisse, eo major tibi gloria, mihi ignovisse: nam pro peccatis sine numero, sicut sunt mea, requiruntur miserationes infinitae, sicut sunt tuae.

In tali fiducia, o Dominus meus et Deus meus! confugio ad istas miserationes, quae sunt infinitae, gemens et poenitens, quod te tam saepe offenderim, tam tarde cognoverim, tam parum amaverim; nunc, o Domine! si aliud temporis spatium non haberem, quam hoc solum momentum, illud impenderem in te amando, o bonitas suprema! quia tu es id, quod es; et quia tu solus mereris adorationem et indefinitum omnium tuarum creaturarum amorem. Hinc ob tui solius intuitum et respectum o amor aeterne, qui es semper amabilis, nec unquam satis amaberis, detestor omnia peccata vitae meae, quia sunt contraria tuae adorabili sanctitati: et quidem ex eo motivo detestor omnia peccata mea, ex quo Dominus meus Jesus Christus in horto agonizans illa est detestatus: eodem pariter motivo

Digitized by Google

detestor, quo tu, o mi Deus, Pater, Fili et Spiritus sanctus, une in essentia et trine in personis illa detestaris. Pro reparatione autem contumeliae, quam tibi meae intulerunt iniquitates, offero tuae majestati omnium justorum super terram, angelorum, et omnium hominum in coelo beatorum, imo amorem illum, quo meus Salvator J. Ch. te amat; et amorem, quo te ipsum, o mi Deus, ab omni aeternitate incessanter amasti, et quo durante tota aeternitate te semper amabis. Atque ad excipiendas has vitae meae iniquitates, tanquam reus criminis laesae majestatis, quem tu justissime condamnasti, accepto mortem, quandocumque et quomodocumque futuram; accepto destructionem hujus corporis, quod fuit causa tot intemperantiarum, et subjectum tot peccatorum. Accepto corruptionem totius mei esse, in recognitionem supremi Dominii, quod supra me possides. Accepto omnes desolationes, omnes angustias, omnes poenas, omnes tentationes et omnia mala (solo excepto peccato et Tui offensa) pro satisfactione, quam tuae adorabili Majestati facere possum.

Quoniam vero nil amplius valeo et possum, mi Deus! recordare quod sim opus manuum tuarum, tui pretium sanguinis,

Digitized by Google

victoria tuae crucis, tuae mortis pignus et effectus tui amoris. Quapropter morti tuae unio meam, amori tuo conjungo meum, protestando, quod non admittam aliam fidem, quam tuae Romanae ecclesiae, aliam spem, quam in tuis meritis, nec alium amorem, quam tuae bonitatis. Si igitur quidpiam in me contrarium accidere deberet, ego illud retracto et actum nolo: Sed firmiter volo, quod ultimus motus cordis mei sit motus adorationis, qui tibi praestet homagium mei esse, si quidem plus est tuum, quam meum; volo iterum, ut hoc totum simul sit motus amoris, qui te amans propter teipsum amet atque per totam aeternitatem amando continuet tui amorem. Verum est, o mi Deus! quod cum his omnibus multum timeam, si quidem mea crimina valde sunt magna et tua judicia nimis terribilia: sed pariter verum est, quod non obstante omni meo timore plus adhuc sperem, qui tu es misericordia et multum peccantibus condonas: quia tu es infinite misericors et in finem usque misereri non oblivisceris, quia tu es totus misericors et ipsamet misericordia et omnia supplicibus dimittis.

Plenus hac dulci confidentia, qua in te feror, spero videre tua bona in terra viven-

Digitized by Google

tium, ubi tu es resurrectio et vita, et postquam denuo tuam potentiam adoraverim, quae me creavit, tuam bonitatem, quae me redemit, tuam sapientiam, quae me illuminavit, tuam providentiam, quae me gubernavit, tuam misericordiam, quae mihi tantum condonavit; etiam adoro tuam justitiam et illi me totum pro momento illo subjicio, quo illa determinavit me judicare, cum tali tamen fiducia et firma spe, illi justitiae et judicio tuo me submitto, quod tua bonitas non me deseret, sed quod ipsamet pro me respondebit apud tuam justitiam et quod misericordias tuas in aeternum cantabo. Amen.

Oratio

ex verbis Christi morientis confecta.

O bone Jesu, qui pro mea salute in stabulo nasci dignatus es, vivere in laboribus, mori in cruce: dic Patri tuo pro me moriente: Pater, dimitte illi! Dic Matri tuae: Mulier! ecce filius tuus! dic animae meae: Hodie mecum eris in paradiso. Deus meus, ne derelinquas me! Sitio ad te fontem vitae. Consummatur tempus vitae meae. In manus tuas commendo spiritum meum. Amen.

Digitized by Google

Ad sanctam Barbaram, Virginem et Martyrem.

Antiph. O quam pulchra et casta generatio cum claritate!

Immortalis est enim memoria illius; quoniam apud Deum nota est et apud homines.

℣. Ora pro nobis, sancta Barbara!

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Ostende nobis, Domine, tuae pietatis misericordiam, quam in s. virgine et martyre tua Barbara pie et misericorditer ostendisti, ut ipsius meritis et precibus a subitanea et improvisa morte liberemur et ante diem et horam exitus nostri tui sacratissimi corporis et sanguinis sacraeque unctionis sacramentis salubriter muniamur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Litaniae
pro obtinenda felici Morte.

Domine Jesu, Deus bonitatis, pater misericordiarum! En, sto coram te corde

Digitized by Google

humiliato contrito et contuso; horam meam novissimam ac quidquid eam subsequitur, tibi commendo.

Dum pedes immobiles indicabunt mihi, cursum meum jamjam in hoc mundo consummari; benignissime Jesu, miserere mei.

Dum manus meae torpentes et trementes non poterunt tuam, o Jesu crucifixe, imaginem sustinere; quando, me invito, cum cruce relabentur in lectum mortis; benignissime Jesu, miserere mei.

Dum oculi mei obscurati et a facie mortis appropinquantis perterriti in te tristes et jam claudendi aspicient; benignissime Jesu, miserere mei.

Dum labia mea frigida et trementia nomen sanctum tuum ultimo articulabunt; benignissime Jesu, miserere mei.

Dum genae meae pallidae ac lividae compassionem ac horrorem inspirabunt circumstantibus et quando crines erecti et sudantes sudore lethali finem meum annuntiabunt proximum; benignissime Jesu, miserere mei.

Dum aures meae, dicta hominum haud amplius percipientes, erigentur ad audiendam sententiam irrevocabilem, quae, quid in aeternum de me futu-

Digitized by Google

rum sit, statuet; benignissime Jesu, miserere mei.

Dum mens mea tristibus horrendisque agitata cogitationibus moerore pene conficietur; dum spiritus meus, turbatus ex consideratione iniquitatum mearum et ex metu justitiae tuae, luctabitur adversus principem tenebrarum, qui me, mihi occultando misericordias tuas, in desperationem agere conabitur; benignissime Jesu, miserere mei.

Dum cor meum debile, morbo oppressum, mortis horroribus perculsum, enervabitur in praelio adversus salutis meae hostes; benignissime Jesu, miserere mei.

Dum ultimas lacrymas, mortis adventum annuntiantes, profundam, eas accipe in sacrificium expiatorium, ut quasi poenitentiae victima exspirem in momento illo terribili; benignissime Jesu, miserere mei.

Dum parentes et amici mei, circum me stantes, sortemque meam deflentes, te pro me invocabunt; benignissime Jesu, miserere mei.

Dum privatus fuero omni sensu, dum ante me praeterierit figura hujus mundi, et ita oppressus in agone versabor; benignissime Jesu, miserere mei.

Digitized by Google

Dum ultimi mei cordis singultus urgebunt animam, ut e corpore discedat, sint tibi in signum, quod cupiam dissolvi et esse tecum; benignissime Jesu, miserere mei.

Dum anima mea, modo super labia fluitans, mundo in aeternum valedicet ac corpus relinquet pallidum, rigidum et exanime, accipe destructionem istius corporis in agnitionem supremi tui dominii; benignissime Jesu, miserere mei.

Tandem dum anima mea tibi apparebit, et prima vice tuae majestatis splendorem intuebitur, ne projicias eam a facie tua. sed in sinum misericordiae tuae suscipe me, ut laudes tuas cantem in aeternum; benignissime Jesu, miserere mei.

Oratio.

O Deus, qui morti nos adjudicasti, sed qui nos nescire diem atque horam voluisti, da mihi gratiam, qua juste et pie vivam omnibus diebus vitae meae, ut in pace et in amore tuo obdormiam. Per Dominum nostrum J. C. etc. (Ex Palmeto coelesti R. P. Nacaten.)

Digitized by Google

Oratio plissima S. Francisci Assisii.

Absorbeat, quaesumus, Domine Jesu Christe, mentem meam ignita et melliflua vis amoris tui ab omnibus, quae sub coelo sunt, ut amore amoris tui mundo moriar, qui amore amoris mei dignatus es in ligno crucis mori. Qui vivis etc.

O. A. M. D. G.

et

B. M. V. H.

Digitized by Google

Digitized by Google

Index.

Instructio de Missae Sacrificio . . 1
Exercitium matutinum 11
Exercitium vespertinum 15
Exercitium ad Missae Sacrificium . 19
Oratio ante et post Missam . . 34
Preces sub s. Sacrificio Missae
Die Dominica 40
Feria secunda 66
Feria tertia 86
Feria quarta 105
Feria quinta 124
Feria sexta 143
Feria septima 166
Meditatio de passione Dominica . . 192
Preces ad confessionem sacramentalem 212
Preces ad Communionem sacramentalem 218
Orationes ad lucrandas Indulgentias 232
Preces de SS. Nomine et Corde Jesu et Mariae 236

Digitized by Google

Exercitia pietatis ad Christum patientem 249
Via Sanctae Crucis 258
Affectus S. Aloysii 279
Salutationes ad quinque Vulnera Christi 280
Horae canonicae de Passione Domini 282
Litaniae Vitae et Passionis D. N. J. C. 285
Devotio erga B. V. Mariam . . . 292
Hymnus ad B. V. Mariam . . . 302
Orationes ad S. Josephum 305
Hymnus de S. Josepho 308
Orationes ad SS. Angelos et Patronos 310
Psalmus ex variis Psalmis . . . 311
Preces pro fidelibus Defunctis
Officium minus pro Defunctis . . 322
Litaniae pro fidelibus Defunctis . 324
Orationes pro obtinenda felici Morte 333
Litaniae pro obtinenda felici Morte 339

Digitized by Google

Errata.

Propter longiorem correctoris a typographo loci distantiam plura irrepsere errata tum sensum turbantia, tum falsae interpunctationes, quae benevolus lector benigne corrigere velit.

V. g. ut paucis absolvam:

Pag. 2 linea 29 loco mnemosynen lege „mnemosynon".
Pag. 7 linea 4 loco Alexandrina lege „Alexandrinae".
Pag. 31 linea 7 loco potuis lege „potius" etc. etc.
Pag. 50 linea 23 loco oxorna lege „exorna".
Pag. 53 linea 5 loco tui lege „sui".
Ibidem linea 6 loco es lege „est".
Pag. 69 linea 3 loco camans lege clamans.
Pag. 71 linea 13 loco valeant lege valeamus.
Pag. 138 linea 16 loco delectus lege „dilectus".

Digitized by Google

Pag. 147 linea 29 loco qui nimo lege „quin imo“.
Pag. 180 linea 28 loco meorum lege „nostrorum“.
Pag. 187 linea 16 loco spiritali lege „spirituali“.
Pag. 204 linea 13 loco nimium lege „nimirum.“
Pag. 218 linea 15 loco audito lege „auditu“.
Pag. 219 linea 2 loco me lege „mihi“.
Pag. 223 linea 21 loco paces lege „pace“.
Pag. 291 linea 14 loco dominum lege „domum“.
Ibidem linea 14 loco apostolicum lege „apostolicam“.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google